

REGESTI PISAMA GENERALA DOMINIKANSKOG REDA POSLANIH U HRVATSKU (1392—1600)

(II. DIO)

Stjepan Krsić

Regesti koje ovdje donosimo čine drugu polovicu regesta koji su pod gornjim naslovom objavljeni u dvobroju »Arhivskog vjesnika« (XVII—XVIII, 1974-1975) i odnose se na razdoblje 1501-1600. Sadržani su u originalnim registrima pisama generala dominikanskog reda, koji se čuvaju u Generalnom arhivu spomenutog reda u Rimu.

Značenje ovih regesta za povijest pojedinih zemalja već je davno zapaženo o čemu, među ostalim, najbolje svjedoči njihovo sustavno objavljivanje od znanstvenih institucija pojedinih zemalja²³⁸. Što se pak tiče regesta koji se odnose na Hrvatsku, valja naglasiti da su oni značajno vrela za našu povijest. Sadržavaju mogobrojne i precizne podatke o više stotina naših ljudi, najvećim dijelom pripadnika dominikanskog reda, o njihovu životu i radu. Mnogi su se od njih u ovom razdoblju istakli na kulturnom, religioznom i političkom polju. Iz ovih se regesta, osim toga, mogu pratiti političke prilike kod nas kao što su npr. odnosi između Dubrovnika i Mletaka, prodiranje Turaka itd. te gibanja i kulturne veze Hrvatske sa susjednim zemljama, posebno s Italijom, u koju su u to vrijeme, kao kolijevku humanizma, bile uprte oči cijele kulturne Evrope. Posebno valja istaknuti da se dobar dio ovih regesta odnosi upravo na studij mnogih ljudi iz naših krajeva na raznim talijanskim učilištima i sveučilištima kao što su Padova, Rim, Firenca, Bologna, Venecija, Napulj itd. Zahvaljujući centralističkoj strukturi dominikanskog reda, prema kojoj je isključivo vrhovni poglavar reda bio nadležan za premještaj pojedinih redovnika iz jedne zemlje u drugu, danas smo u stanju stvoriti približnu sliku o tomu koliko je naših ljudi, sada poznatih po imenu i prezimenu, u ona burna vremena posjedovalo visokoškolsku naobrazbu jednaku onoj velikih kulturnih naroda kojima je sudbina bila mnogo sklonija. Zato su ovi regesti za povijest humanizma kod nas od posebnog značenja.

No, upravo je činjenica koju smo naglasili bila glavni razlog što su ti regesti malo prije izbijanja drugog svjetskog rata bili zloupotrijebljeni u političke svrhe. Birajući samo one regeste u kojima se govori o studiju naših ljudi u Italiji, mađarski je povjesničar Florian Banfi —

²³⁸ O tomu v. Uvod u I dio.

u službi talijanskog fašizma i iredente — pokušao dokazati kako je naša kultura u Dalmaciji tobože talijanska, želeći na taj način opravdati talijanske teritorijalne pretenzije na nju²³⁹. No, on je pri tom zaboravio da je i iz njegove zemlje — kao uostalom iz gotovo svih krajeva Evrope — u to vrijeme ne manji broj mladih ljudi željnih znanja studirao na talijanskim visokim školama. Osim toga on je svjesno prešutio činjenicu da su u Zadru i Dubrovniku — barem što se tiče dominikanskog reda — tada postojale visokoškolske ustanove na kojima je većina hrvatskih dominikanaca završavala svoje studije, premda se u ovim registima o njima ništa ne govori jer im za to nije trebalo odobrenje vrhovnih starješina reda²⁴⁰. Provjeravajući točnost Banfijevih navoda, imao sam prilike ustanoviti da je birao samo one regeste u kojima je riječ o studiju naših ljudi u Italiji, dok je pri tom — ne navodeći to ni jednom jedinom riječju — ispustio najmanje 15 puta više povijesnog gradiva čija cjelina govori nešto sasvim drugo nego je on želio dokazati. Radilo se, dakle, o povijesnom falsifikatu koji je trebalo ispraviti cjelovitim objavljivanjem ovih regesta.

Pri služenju ovim registima potrebno je imati na umu njihovu karakterističnu sažetost i gotovo šablonsko ponavljanje pojedinih stereotipnih formula svojstvenih ondašnjim crkvenim i civilnim kancelarijama. No, usprkos njihovoj prividnoj suhoparnosti i shematiziranosti iskusan će povjesničar u njima otkriti bogat povijesni sadržaj s preciznim podacima o velikom broju naših ljudi koji se nerijetko kriju samo pod svojim redovničkim imenima. Zbog toga je njihova identifikacija bila prilično složen posao. Trebalo je usporediti sve osobe istog imena te metodom isključivanja odrediti njihov pravi identitet. Dobar dio njih — u stilu svoga vremena — umjesto prezimena uz osobno ime nosi samo ime svojega rodnog mjesta, grada ili kraja, dok je za mnoge od njih bilo moguće odrediti prezime iz drugih suvremenih dokumenata. U homonimnim slučajevima osobe su označene rednim rimskim brojem u okruglim zagradama.

Za što lakše služenje ovim registima na kraju je doneseno kazalo osobnih imena i imena mjesta s oznakom broja regesta u kojem je riječ o određenoj osobi.

Vincentius Bandelli (1501-1506)

Provincia Dalmatiae

[1501]

944. Frater Bernardus de Ragusio fit predicator conventus Spoletani etc. et potest commendare capitulum generale proxime futurum elemosynis fidelium etc., et elemosynas porrigentes admittantur ad participationem bonorum etc. Die 10 februarii, Rome. [15, f. 275r]

945. Frater Albertus conventus Jadrensis assignatur in eo conventu, in quo benivolos receptores invenerit etc. In quorum etc. Die sexta martii, Rome.

²³⁹ Usp. bilješku 46.

²⁴⁰ Usp. S. Krasić, *Congregatio Ragusina Ord. Praed. (1497—1550)*. Institutum historicum FF. Praedicatorum, *Dissertationes historicae*, XIX. Romae, Istituto storico domenicano, 4972, str. 118—123.

946. Confirmantur gratie concesse congregationi Ragusine, quod vicarius congregationis duret per biennium etc., et quod precedens sequentem confirmet etc., et si opus est denuo conceditur etc. Die 11 maii, Rome.

947. Conceditur fratri Simeoni de Jadra propter infirmitates suas possit ubique extra ordinem commorari, petere, recipere et expendere elemosinas et confiteri cuicumque fratri ordinis de non reservatis totiens quotiens; de aliis bis in anno, et absolvi etc. Nec aliquis inferior potest impedire. Die prima iunii, Rome.

948. Magister Joannes de Sibenico²⁴¹ constituitur regens in conventu Anconitano. Die 2 iunii, Rome.

949. Patribus conventus Sibiricensis declaratur, quod frater Joannes Mathei de Sibirico privatus est filiatione conventus Sibiricensis. Die 5 iunii, Rome.

950. Approbatur commissio facta per fratres conventus Jadrensis factam in reverendum patrem provincialem fratrem Joannem Coronam, quod ipse habeat universalem curam de quodam loco et quibusdam terris in insula Bagni positis etc. Die 6 iunii, Rome.

951. Declaratur quod frater Matheus Nisius,²⁴² prior conventus Civitatis Veteris, falso fuit infamatus et prohibetur sub pena gravioris culpe, ne aliquis talia sibi imponat. Die 6 iunii, Rome.

952. Revocantur omnes litere, quibus fratres aut sorores eximuntur a iurisdictione reverendi provincialis et precipitur in virtute etc. omnibus, ne eis utuntur; et mandatur eis, ut satisfaciant provinciali in expensis, quas fecit veniendo ad capitulum. Die 6 iunii, Rome.

953. Frater Martinus de Ragusio, conversus, habet licentiam eundi Ragusium et post revertendi in Italiam. Die 6 iunii, Rome.

954. Soror Ursolina de Catharo tertii ordinis potest ex Urbe redire ad patriam et post morari in domo propria vel parentum, ita quod vivat honeste. Die 4 iulii, Rome.

955. Frater Thomas de Ragusio confirmatur in studio Paduano per annum etc. Die 15 iulii, Rome.

956. Imponitur magistro Joanni Corone de Jadra, provinciali Dalmatie, ut reformet provinciam iuxta acta capituli etc. Die 19 septembris, Rome.

957. Precipitur omnibus fratribus conventus Jadertini in virtute etc. et presidentibus sub pena absolutionis ab officio ipso facto, ceteris autem sub pena excommunicationis, ne accedant aut mittant ad domum Antonie, sororis fratris Alberti, nec sibi loquantur etc. Item sub eodem precepto, ne quis edificet sine consilio et assensu patrum, et quod etiam requiratur, qui fuerint priores etc. Item, quod emolumentum missarum seu butinum non dividatur, nisi inter sacerdotes, qui celebrant etc. (Eadem die).

958. Precipitur omnibus fratribus et sororibus provincie Dalmatie in virtute etc. et sub pena absolutionis presidentibus, et excommunicationis late etc.

²⁴¹ Ivan Barbeta Severitan: *A. Gozzeus, Catalogus virorum ex familia Praedicatorum in litteris insignium*, Venetiis 1605, str. 146; M. Breyer, *Ö Ivanu Polikarpu Severitanu, Sibenčaninu*. Prilozi k starijoj književnoj i kulturnoj povijesti hrvatskoj, Zagreb 1904, str. 37—42; A. Bacotich, *Giovanni Policarpo Severitano da Sebenico*. Archivio storico per la Dalmazia, 1932—33, XIV, 79, str. 310—334; *Barbula Ivan*, Enciklopedija Jugoslavije, 1, Zagreb, Leksikografski zavod, 1955, str. 305; E. Laszowski, *Polikarpo Barbetta Barbula Severitan Ivan*. Znameniti i zaslužni Hrvati 925—1925, Zagreb 1925, str. 217.

²⁴² Mate Nižetić: D. Farlati, *Illyricum sacrum*, IV. Venetiis 1769, 1769, str. 190—191; S. Gliubich, *Dizionario biografico degli uomini illustri della Dalmazia*, Vienna 1856, str. 227; A. Ciccarelli, *Osservazioni sull'isola della Brazza e sopra quella nobiltà*, Venezia 1802, str. 83; A. K. M., *Pogled na djelovanje manastira Zaostrog od g. 1468—1868*. Narodni kalendar Matice Dalmatinske za god. 1869, str. 97.

unica etc., a qua non nisi a magistro (ordinis) etc., quatenus, si quis habuerit aut sciat aliquem habuisse de bonis conventus Jadrensis et pertinentibus ad sacristiam et fratrum defunctorum, et presertim magistri Luce, debeant infra dies 15 restituisse vel composuisse, vel significasse etc. (Eadem die).

959. Magistro Joanni de Sibenico conceditur possit habere lecturam sibi oblatam a comunitate Sibenici; et quod, si contigerit ipsum legere in civitate Pagensi et non poterit in conventu habere commodam habitationem propter conventus artitudinem, habitet in alia domo extra conventum etc. Die 10 octobris, Rome.

960. Precipitur omnibus fratribus conventus Sibenici in virtute etc., presidenti sub pena absolutionis, ceteris sub pena excommunicationis, ut faciant inventarium seu memoriale bonorum tam mobilium, quam immobilium conventus pro instructione fratrum iuniorum, qui post eos succedent. Die 11 octobris, Rome.

961. Frater Albertus de Jadra assignatur in eo conventu, in quo commoratur magister Joannes de Sibenico. Die 12 octobris, Rome.

962. Frater Hieronymus conventus Segnie potest promoveri ad sacerdotem completo anno 22°. Die 12 novembris, Rome.

963. Confirmatur preceptum factum per magistrum Joachimum (Torriani) presidentibus et patribus conventus Segnie in virtute etc. et sub penis privationis officii et excommunicationis, ut restituant magistro Joanni Montis Aurei libros, quos concesserat fratri Dominico de Segnia et quos suos esse recognoverit etc. Die 13 novembris, Rome.

1502

964. Provinciali et presidentibus conventuum provincie Dalmatie precipitur in virtute etc. et sub pena absolutionis etc., ne sibi aproprient bona fratrum decedentium, sed dividant ea inter conventum originalem et conventum in quo frater moritur etc. 23 maii, Venetiis. [f. 276r]

965. Sorores Nicoleta et Catharina Thetrice possunt, si exercitus Turcorum versus Jadram venerit, exire monasterium Sancti Demetrii et venire Venetias in monasterium Corporis Christi. Et rogantur matres illius monasterii, ut eas in tali casu suscipiant etc. (Eadem die).

966. Domina Magdalena, domini Francisci Fonfonii, potest intrare in monasterium Sancti Demetrii ad visitandum filiam suam sororem Sevingam, que fuerit infirma decumbens, et non aliter, cum domina Ursula, domini Zoili et sororibus dicte sororis etc., dummodo non pernoctent etc. 23 maii, Venetiis.

967. Congregationi Ragusine confirmantur statuta facta per magistrum generalem Joachimum, videlicet quod possint celebrare congregationem suo modo et ordinationes congregationis habeant vim ordinationum capituli provincialis; quod vicarius habeat auctoritatem provincialis; quod duret tantum per biennium vel circa; quod antiquus novum confirmet; et si antiquus mortuus esset, prior Ragusinus confirmet; et si ipse electus esset, alius prior confirmet etc.; et quod decedente vicario prior Ragusinus vices gerat usque ad electionem et confirmationem; et quod electores vicarii et diffinitorum sint vicarius antiquus, priores, socii, magistri et qui fuerint priores, vicarius Insule (Medie) et supprior etc. Item addit reverendissimus magister, quod nullus de fratribus dicte congregationis promoveatur ad magisterium, nisi expositus a tribus partibus vocalium; et qui aliter promoti, non gaudeant etc.; et quod fratres fugitivi et qui transeunt ad conventus non deputatos,

non recipiantur nisi per tres partes vocalium; et extra tempus congregationis vicarius et priores et maior pars patrum conventus Ragusini poterit eos suscipere usque ad congregationem etc.; et fugitivi incidant in penam gravioris culpe et sint privati voce activa et passiva, et non possunt restitui nisi per tres partes vocalium congregationis etc. Et precipitur in virtute et sub pena absolutionis ab officiis, ut predicta serventur etc. 24 maii, Venetiis.

968. Frater Donatus de Ragusio efficitur frater nativus conventus Ragusini, si maior pars fratrum dicti conventus consenserit etc. (Eadem die).

969. Revocantur omnes gratie concesse a reverendissimis generalibus precedentibus fratribus congregationis Ragusine, que essent in preiudicium vite regularis; et precipitur eis, ne eis utantur sine licentia suorum superiorum. (Eadem die).

970. Precipitur omnibus sororibus monasterii Sancti Demetrii de Jadra, quod nulla loquatur cum extraneis sine licentia priorisse et sine socia, que audiat etc., nisi forte de licentia priorisse loquantur cum patre aut matre, fratribus et sororibus suis carnalibus etc. 30 maii, Venetiis.

971. Frater Lucas de Jadra potest habere socium fratrem Nicolaum, conversum, qui non potest in aliis officiis occupari. 2 iunii, Venetiis.

972. Frater Jacobus Marath de Tragurio assignatur in Portu Gruario, provincie Sancti Dominici etc. 9 iunii, Venetiis. [f. 276v]

971. Frater Lucas de Jadra potest habere socium fratrem Nicolaum, conversum, qui non potest in aliis officiis occupari. 7 iunii, Venetiis.

972. Frater Jacobus Marath de Tragurio assignatur in Portu Gruario, provincie Sancti Dominici etc. 9 iunii, Venetiis. [f. 276v]

973. Frater Donatus de Jadra potest commorari Jadre et potest exigere bona, que sibi debentur iure hereditario; et non potest impediri, nisi ratione scandali etc. 11 iunii, Venetiis.

974. Frater Nicolaus de Lesina efficitur frater nativus conventus Canec, provincie Grecie, et assignatur in ipso conventu etc. 15 iunii, Venetiis.

975. Frater Jacobus de Tragurio potest ire in Dalmatiam, ut exigat quasdam pecunias et accipiat bona sua etc; et non potest impediri etc.

976. Frater Augustinus de Catharo declaratur non habere filium, qui sibi imponitur etc. Et mandatur omnibus, ut restituant sibi bona sua etc., si alia occasione non etc. 17 iunii, Venetiis.

977. Vicarius congregationis Ragusine, postquam fuerit absolutus, habebit locum immediate post supriorem et non potest annotari ad hebdomadarium; nec similiter bachalarei promoti ad legendum *Sententias* pro gradu etc. 26 iunii, Padue.

978. Frater Georgius de Tragurio absolvitur ab omni pena positiva et privativa, quam incurrit etc.; et precipitur omnibus, ne sibi impropere. 4 iulii, Tarvisii.

979. Frater Thomas conventus Ragusini potest exire ad predicandum et potest dormire in lecto et in linteaminibus, quamdiu moram traxerit apud fratres vite comunis. 11 iulii, Padue.

980. Frater Vincentius Jadrensis licentiatur, quod possit accedere ad monasterium Sancti Demetrii et cum eisdem loqui. 24 iulii, Ferrarie.

981. Fratri Luce Jadrensi precipitur, quod debeat confessiones monialium Sancti Demetrii audire. 24 iulii, Ferrarie.

982. Fratribus conceditur eiusdem conventus, quod possint retinere elemosinas sibi collatas et eis uti. Priori conceditur, quod possit alleviare conventum de fratribus non ibi assignatis. Et possunt provinciali resistere, si

voluerit aliquem fratrem amovere vel officiales mutare, vel si se voluerit in aliquo particulari regimine conventus intromittere. Iidem obtinuerunt, quod provincialis non possit habere nisi unam pictantiam et quod non possit fratres in electione coarctare. Eidem provinciali una cum priore precipitur sub pena absolutionis ab officiis suis, quod faciant ista inviolabiliter observari. 24 iulii, Ferrarie.

Provincia Regni

983. Frater Marinus de Ragusio²⁴³ conventus Andriensis, provincie Regni, assignatur ubi invenerit benivolos receptores etc. Die 16 octobris (1501), Rome. [f. 77r]

Provincia Sancti Dominici Venetiarum

984. Frater Alexander de Padua, frater Andreas de Tridento, frater Joannes de Alemania, frater Thomas de Ragusio, frater Joannes de Sancto Miniante assignantur studentes theologie in conventu Veneto etc. 28 iunii (1502), Padue. [f. 45v]

Provincia Hungariae

985. Magister Gregorius, conventus Gare, potest commorari in conventu Segnie, provincie Dalmatie, quamdiu in illis partibus erit eques et capitaneus Ungarie; et mandatur presidenti, ut eum suscipiat in conventu et teneat. Et potest de licentia reverendissimi domini legati predicare per Sclavoniam et Croatiam cruciatam cum socio suo; et mandatur presidentibus, ut ipsum suscipiant et teneant in conventu, quando ad eos declinaverit pro hoc officio etc. Die 12 novembris (1501), Rome. [f. 124r]

Provincia Dalmatiae

1505

986. Conceditur magistro Johanni Barbula de Sibinico, quod possit dare pro dote sororis sue ducatus ducentos de pecuniis, quas debet habere pro lectura sua de errario fiscali comunis Sibenici etc. Mediolani, die 13 madii. [17, f. 183r]

987. Reverendo patri priori Joanni Corone committitur luca loci Sancte Marie Gratiarum insule Bagn et quod fratres conventus Jadrensis ibidem tempore pestis manere possint et quod dictus locus sit membrum ipsius conventus. 9 eiusdem (mensis) ibidem.

988. Presidentibus, fratribus et sororibus provincie Dalmatie precipitur sub pena que debetur transgressoribus precepti, (quod) teneantur collectas dare reverendo magistro Joanni Corone, quando ipsas ipse fecerit. Eiusdem 13, ibidem.

989. Frater Antonius Dalmata fit magister theologie cum omnibus gratiis etc. 14 eiusdem, ibidem.

990. Confirmatur studium Jadrense. 15 eiusdem, ibidem.

991. Conceditur quibusdam conventibus huius provincie, quod possint vendere quedam immobilia vel permutare in utilitatem evidentem ipsorum conventuum; que venditio fiat per reverendum vicarium generalem vel provincialem et cum assensu maioris partis patrum et fratrum conventuum. In contrarium etc. 16 eiusdem, ibidem.

²⁴³ Vjerojatno Marinus Jacobi Aloysii de Goze o kojemu v.: Historijski arhiv u Dubrovniku, Distributio testamentorum, 14, f. 204v; 15, f. 57r; 19, f. 52v.

992. Frater Hyeronimus de Ragusa ordinis predicatorum assignatur in studentem theologie per tres annos immediate sequentes in conventu Pata-
vino. 18 eiusdem, *ibidem*.

993. Reverendus pater frater Joannes Corona Dalmata absolvitur a provincialatu et instituitur vicarius; et mandatur ei, quod reformet totam provinciam et quod conventus inde per ipsum reformati sint reformati; et quod reformet moniales Sancti Demetrii Jadrensis. Eadem (die) eiusdem (mensis), *ibidem*.

994. Declaratur fratribus congregationis Ragusinae, quod frater Lucas Rhagusinus est eorum vicarius, quia est electus ante promulgationem Julii (secundi) bullę etc. Rome 29 octobris.

995. Reverendus pater frater Mattheus Nisseus Pharensis, devoluta potestate eligendi ad reverendissimum (generalem), eligitur et confirmatur prior provincialis Dalmatie, cum auctoritate etc. Romę, 3 octobris.

996. Reverendo provinciali et ceteris presidentibus (precipitur) sub penis et censuris et absolutionis, quam ipso facto etc., quatenus infra terminum illis a magistro Johanni Corone prefigendum, illi satisfaciant et reddant ducatos 66 vel cum eo componant. *Ibidem*, eadem (die) eiusdem (mensis).

997. Mandatur vicario et fratribus Rhagusinis, ut pro rata suorum conventuum contribuant infra dies octo pro expensis factis per diffinitores capitulorum generalium eundo et redeundo. *Ibidem*, eadem eiusdem.

998. Magistro Johanni Corona datur licentia, ut sotium habeat pro suis necessitatibus, qui tamen non liber a comunitate, et quod aliquando possit remanere a prima mensa et a missa, presertim quando est in loco Bagn pro hedificatione conventus. *Ibidem*, eadem eiusdem.

999. Priori conventus Ichsi sub pena absolutionis, quam ipso facto etc. et fratribus excommunicationis mandatur, et infra tres dies bona, que fuerunt fratris Petri de Dulchinio, presentent reverendo provinciali Dalmatię et medietatem eorum habent pro conventu Dulchiniensi. *Ibidem*, eadem eiusdem.

[f. 183v]

1000. Soror Margarita de Begna restituitur ad omnes gratias ordinis et ad vocem activam, ad velum nigrum et ad locum suę professionis. *Ibidem*, quinta eiusdem.

1001. Prioribus, vicariis et magistris ceterisque fratribus cuiuscumque gradus etc. denuntiatur reverendum patrem fratrem Mattheum Nisseum Pharenssem esse provincialem et mandatur, ut illi obediant etc. *Ibidem*, 5 eiusdem.

Provincia Hungariae

1002. Fratri Osvaldo, priori Quinque Ecclesiarum committitur, ut fratrem Matthiam de Zagrabia assignet in aliquo conventu, cuius lingua sciat. Rome 2 novembris (1505). [f. 117r]

1003. Fratri Joanni de Possegavar conceditur licentia predicandi ubique, sine preiudicio tamen etc. Rome 10 ianuarii (1506). [f. 120r]

Johannes Clérée (1507)

Provincia Graeciae

1507

1004. Magister Sigismundus Venetus, provincialis Graeciae, et frater Franciscus, vicarius congregationis Ragusinae, deputantur cum praecepto visita-

tores provinciae Dalmatiae cum plena auctoritate reverendissimi circa absolutionem provincialis Dalmatiae, qui ab officio suo suspenditur quam primum dicti provinciam intraverint, usque ad visitationis confirmationem. Praecipitur provinciali et prioribus conventualibus sub poena absolutionis ipso facto, et fratribus provinciae Dalmatiae sub poena gravioris culpae, ne directe vel indirecte per se vel alios impediunt executionem visitationis; et quod oboediant in omnibus. Parmae, 1 augusti 1507. [p. 64, n. 15]

Thomas de Vio Caietanus (1507-1513)²⁴⁴

Provincia Dalmatiae

1507

1005. Magister Cornelius habet licentiam, ubi benevolos, usque ad futurum capitulum. 3 decembris, Romae. [p. 282, n. 1]

1006. Vicaria instituta in monasterio Sancti Demetrii, urbis Jadrae, per magistrum Alphonsum Hispanum et reverendi vicarii ordinis commissarium, confirmatur. 13 decembris, Romae.

1007. Revocantur absolutiones praelatorum provinciae Dalmatiae, immo potius nullae declarantur factae per magistrum Sigismundum Venetum et fratrem Franciscum de Ragusio, vicarium Ragusinum, assertos visitatores, vigore exspiratae auctoritatis eisdem commissae super visitanda dicta provincia. Item mandatur, ut contributiones debitae provinciali solvantur. 15 decembris, Romae.

1508

1008. Omnibus et singulis conventus Jadrensis (intimatur), quod oboediant reverendo provinciali sub poenis gravioris culpae, carceris, privationis habitus necnon graduum, dignitatum, officiorum, vocis activae et passivae, item amissionis omnium bonorum et beneficiorum, quas ipso facto incurrant et a quibus non absolvuntur nec restituuntur ab aliquo inferiore. 17 februarii, Romae.

1009. Fratri Cherubino de Cherso datur licentia, quod possit ordinari in diaconum. 18 februarii, Romae. [p. 283, n. 5]

1010. Magister Antonius de Ostrecheriis, stando in ordinis conventibus, potest exhibere servitia comiti Bernardino de Frangipanibus, etiam si ad mensem vel plus necesse foret extra conventum ipsum permanere. 18 februarii, Romae.

1011. Frater Jacobus, conversus, Modrissiensis, sub praecepto tenetur infra datum terminum cum patribus componere aut conventui illi facere satis. 18 februarii, Romae.

1012. Frater Ambrosius Jadrensis datur per annum in curatum ecclesiae Sancti Johannis, in villa Bol, dummodo praestet oboedientiam provinciali. 30 martii, Romae.

1013. Frater Mathaeus Remetiza conceditur confessor monialibus quibusdam Sancti Demetrii Jadrensis, se cum eo confiteri volentibus, solum usque ad octavam Paschae, dummodo praestet oboedientiam reverendo provinciali. 30 martii, Romae.

²⁴⁴ Ovaj registar je objavljen u: *Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum historica*, vol. XVII, Romae, Institutum hist. FF. Praedicatorum, 1935.

1014. Iniuria per fratres illata reverendo provinciali Dalmatiae reservatur quoad paenitentiam dandam capitulo generali, dummodo oboedientiam praestent eidem provinciali; excipiuntur magister Gregorius Jadrensis et nolentes oboedire. 30 martii, Romae.

1015. Frater Dominicus Traguriensis assignatur in conventu Traguriensi, dummodo oboedientiam praestet reverendo provinciali. 2. aprilis, Romae.

1016. Frater Jeronimus de Segnia assignatur conventui Signiensis. 17 iunii, Romae.

1017. Magister Antonius de Ostricheriis fit vicarius nationis Segniae et eximitur a provinciali, quousque omnes admittuntur ad regimen. 20 iunii, Romae.

1018. Omnibus et singulis prioribus et fratribus provinciae Dalmatiae praecipitur sub poena gravioris culpae, ut oboediant reverendo provinciali Dalmatiae. 20 iunii, Romae.

1019. Omnibus prioribus et fratribus provinciae Dalmatiae praecipitur sub poena gravioris culpae et privatione utriusque vocis (ut) restituant, quantum in illis est, vel indicent codices magistro Johanni de Sibenico. 20 iunii, Romae.

[pp. 283-284, n. 15]

1020. Omnibus prioribus et fratribus provinciae Dalmatiae praecipitur sub poena gravioris culpae, ut exhibeant reverentiam et oboedientiam provinciali. 20 iunii, Romae.

1021. Eisdem singulis et omnibus scribitur declaratio facta de paenitentis, acta in capitulo generali, et declaratio, quod provincialis est immunis ab omnibus sibi obiectis; et suspenduntur poenae praedictae, dummodo oboedientiam praestent. 20 iunii, Romae.

1022. Sorori Catharinae Thririor praecipitur sub poena gravioris culpae, ut restituat sigillum, libros administrationis sorori Margaritae priorissae; ac reliquis sororibus praecipitur, ut oboediant ei. 20 iunii, Romae.

1023. Priori ac fratribus conventus Jadrensis mandatur, ut celebrent divina officia in monasterio Sancti Demetrii, alioquin possint sorores eligere capellanos tam extra ordinem quam saeculares. 20 iunii, Romae.

1024. Magistro Johanni de Sibenico datur licentia legendi quandam lectionem, praecipiturque omnibus, ne impediunt. 20 iunii, Romae.

1025. Fratri Mathaeo de Sibenico conceditur, quod possit manere extra ordinem et confiteri (et) ter in anno a reservatis (absolvi), ab aliis vero toties quoties. 20 iunii, Romae.

1026. Frater Desiderius de Jadra assignatur in conventu Jadrensi. 20 iunii, Romae.

1027. Magistro Augustino scribitur, quod cessatur concessio camerarum in domo sororum tertii habitus de Venetiis concessarum sorori Agnesinae, quia est praeiudicans priorissae; et si ita est, annullatur et committitur distributio illarum. 20 iunii, Romae.

1028. Omnibus prioribus et praelatis Dalmatiae mandatur sub graviore culpa, ut contributiones et similiter capitulorum generalium anni praeteriti et praesentis provinciali solvant. 20 iunii, Romae. [p. 285, n. 24]

1029. Magistro Antonio de Ostregheriis, vicario conventuum Hungariae (!) mandatur sub graviore culpa idem, quod supra, quoad suos conventus. 20 iunii, Romae.

1030. Sorori Zuiov de Fanvongia datur licentia eundi ad balneum, si ita infirmitas exigit. 29 iunii, Romae.

1031. Provinciae Dalmatiae ordinatur: 1° quod omnes assignationes et revocationes fratrum occultae nullius sint roboris; occultae autem dicuntur, quae latent conventus, cui assignantur aut unde removentur. (2°) Item ordinatur, quod in capitulo cuiuslibet conventus publicentur assignati vel remoti. (3°) Item, per tres menses ante scrutinium prioris vel electionem socii vel quamcumque electionem vel absolutionem prioris non possit aliquis publice vel occulte assignari vel amoveri, salva dispositione constitutionum, nisi per acta capituli provincialis vel de consensu consilii, praesidentis et patrum conventus illius. Quidquid secus fit, inane declaratur. (4°) Item, omnes habentes cameras ad vitam, exeuntes pernoctaturi foras, dimittant claves in manibus alicuius fratris de scientia praesidentis. In contrarium etc. 17 septembris, Romae.

1032. Fratres conventus Jadrensis restituuntur ad vocem activam et passivam et gratias ordinis, quibus propter rebellionem contra provincialem privati erant, sic tamen, quod tam illi quam alii, qui manus violentas in eum iniecerunt, hanc gratiam non consequantur, nisi in singulis quattuor septimanarum ter ante ostium refectorii prostrationes faciant et cum pane et aqua in terra sedeant, cum misericordia tamen praesidentis in cibo et potu. 18 septembris, Romae.

1033. Frater Mathaeus Jadrensis potest audire confessiones sororum Sancti Demetrii, quae ei confiteri volunt, cum auctoritate in foro conscientiae, quam communiter habent confessores illius monasterii; et mandatur ei, ut requisitum onus subeat. 18 septembris, Romae.

1034. Universis fratribus conventus Jadrensis mandatur sub poena gravioris culpaе, ut deposita apud saeculares recuperent nec amplius aliqua deponant, sed omnia ad notitiam praelati deducant, eius depositioni omnia relinquendo, qui contra facientibus dictam poenam imponant. In contrarium etc. non obstantibus etc. 18 septembris, Romae. [p. 286, n. 30]

1509

1035. Priorissae et monasterio Sancti Nicolai de Scriza conceditur, ut possint eligere confessorem fratrem ordinis, qui sit vicarius reverendissimi super monasterium et immediate subiectus magistro (generali) et habeat auctoritatem super illud monasterium, sicut habent provinciales. In contrarium. 10 februarii, Romae.

1036. Universis praesidentibus conventuum Dalmatiae mandatur sub poena absolutionis ab officiis, ut provinciali satisfaciant integraliter, singuli pro rata sua, de taxis et contributionibus debitis et expensis ad capitula generalia Papiense et Romanum. In contrarium etc. 10 februarii, Romae.

1037. Hoc idem mandatur vicario et praesidentibus conventuum nationis Segniae de praeteritis; et si conventus vel frater alicui fratri provinciae Dalmatiae sit obligatus, satagant, ut satisfaciat, sub poena absolutionis ab officio. In contrarium etc. 10 februarii, Romae.

1038. Approbatur iubilaeatus fratris Viti et Desyderii, conventus Jadrensis, cum omnibus gratiis etc. concessis eis a provinciali, auctoritate capituli generalis Romani. 10 februarii, Romae.

1039. Reverendo patri fratri Mathaeo Nisseo, provinciali, conceditur, quantum pendet ex auctoritate ordinis, licentia acceptandi conventum novum Sancti Ambrosii Podsinglunum, in terra comitis Crobaviae; et ei, sicut aliis conventibus, de necessariis officialibus provideat. In contrarium etc. 12 februarii, Romae.

1040. Reverendo patri fratri Mathaeo Nisseo, provinciali, datur auctoritas dispensandi in poena gravioris culpae cum his, qui aequaliter satisfecerunt pro iniunctione manuum in suam personam et restituendi gratiis ordinis. 12 februarii, Romae.

1041. Fratris Desyderii filiatio ad conventum Jadrensem approbatur secundum tenorem litterarum provincialis et patrum illius conventus, si tamen pro provincia illa et conventu professus est, auctoritate magistri generalis. 12 februarii, Romae. [pp. 286-287, n. 37]

1042. Magister Marcus et frater Nicolaus, Ragusini, assignantur, ubi benevolos etc., cum unica receptione et quinque mensibus. 4 maii, Capuae.

1043. Frater Dionysius de Lesina potest manere extra ordinem in obsequio abbatae Sancti Johannis de Venere de Fossa Ceca et locis ad eam pertinentibus; si assuetus sit extra ordinem manere, maneat de cetero; si hoc anno incipit, duret licentia usque ad finem septembris et tunc praesentet se reverendissimo vel eius vicario. Et quamdiu manet extra ordinem, possit absolvi a quocumque sacerdote ordinis ter a reservatis, ab aliis toties (quoties) etc., dummodo etc. 30 maii, Neapoli.

1044. Frater Hieronymus Ragusinus assignatur conventui Bononiensi in studentem theologiae, sine tamen praeiudicio alterius assignati ibidem, pro rata provinciae; et quod non occupet cameram alicuius mittendi forte ex congregatione Sancti Marci. 22 septembris, Florentiae.

1045. Frater Clemens Ragusinus assignatur studens theologiae in conventu Perusino pro rata provinciae Dalmatiae, cum gratiis et privilegiis studentium et mandato, ut recipiatur. 27 septembris, Florentiae.

1046. Fratri Mathaeo, provinciali, mandatur, ut compellat fratres suae provinciae iniuste habentes libros seu quaevis alia bona magistri Johannis de Sebenico, (ut) illa eidem restituent. In contrarium etc. 5 octobris, Florentiae.

1047. Frater Hieronymus Ragusinus assignatur in studentem conventui Sanctae Mariae Novellae, cum gratiis. 20 octobris, Florentiae.

1048. Frater Ambrosius de Jadra assignatur, ubi benevolos in observantia, cum unica receptione et mensibus octo. 30 decembris, Senis.

1049. Frater Dominicus de Lesina similiter. 30 decembris, Senis.

1510

1050. Monasterio Sancti Demetrii de Jadra denuntiatur, quod bulla biennialitatis officiorum extra Italiam non tenet et ideo non est absoluta priorissa pro tempore, quae tempus illud transit. Ordinatur, quod omnes sorores confiteantur uni confessori eis a provinciali vel vicario provinciae dato. 20 iunii, Romae. [p. 288, n. 46]

1051. Frater Mathaeus Nisseus absolvitur a provincialatu Dalmatiae, fit iubilaearius cum exemptionibus solitis, fit praedicator generalis, sicut antea fuit. Potest eligere semel unum conventum in provincia et ibi habitare cum socio, cui ambo assignantur, dummodo non sit socius malae famae. Exhortantur omnes fratres provinciae, ut ei honorem exhibeant etc. 21 iunii, Romae.

1052. Magister Vincentius de Catharo²⁴⁵ fit vicarius provinciae, absoluto provinciali, cum auctoritate vicariorum super personas utriusque sexus, cum

²⁴⁵ M. Piò, *Delle vite de gli huomini illustri di S. Domenico*, I, Bologna 1607, col. 287; J. Quetif—J. Echard, *Scriptores Ordinis Praedicatorum*, II, Lutetiae Parisiorum 1721, str. 119; S. Gliubich, *Dizionario biografico*, str. 63—64; I. Kukuljević Sakcinski, *Pjesme Marka Marulića*. Stari pisci hrvatski, knj. I. Zagreb, JAZU, 1869, str. XX—XXI.

praecepto, ut acceptet et omnes ei oboediant; et haec omnia, donec per reverendissimum vel visitatorem missum aliter fuerit ordinatum. In contrarium etc. 21 iunii, Romae.

1053. Magistro Vincentio praefato committitur, ut compellat cum opportunis remediis vicarium et praesidentes conventuum (nationis) Segniensis, ut de debitis contributionibus et taxis, singuli pro rata sua, satisfaciant absoluto provinciali; et praecipitur ei, ut commissionem exequatur, et dictae nationi, ut oboediant. In contrarium etc. 21 iunii, Romae.

1054. Eidem mandatur in virtute sanctae oboedientiae, ut compellat praesidentes provinciae Dalmatiae, ut satisfaciant de debitis contributionibus eidem provinciali absoluto et inoboedientes compellat per censuras. Similiter mandatur praesidentibus conventuum, ut satisfaciant. In contrarium etc. 21 iunii, Romae.

1055. Servetur de cetero in hac provincia constitutio de non admittendis ad negotia capituli provincialis et electionum conventibus non habentibus numerum fratrum in constitutionibus statutum, hoc est duodenarium vel senarium. 15 decembris, Romae. [pp. 288-289, n. 50]

1056. Nullus de cetero ad quemcumque sacrum ordinem promoveatur nec exponatur ad audiendum confessiones, nisi doctus in grammatica. Et qui indocti audierunt confessiones hactenus, de cetero non audiant, nisi examinati inventi fuerint sufficienter docti in casibus conscientiae in vulgari. Praesidentes contra facientes in poenam absolvantur. 15 decembris, Romae.

1057. Mandatur omnibus fratribus, ut se expropriant bonis suis et omnia deducant ad notitiam praelati, eius dispositioni omnia relinquendo. 16 decembris, Romae.

1058. Magister Voncentius de Catharo confirmatur provincialis illius provinciae cum auctoritate et praeceptis solitis. 16 decembris, Romae.

1059. Committitur provinciali novo, magistro Vincentio, ut si frater Mathaeus Nisseus, absolutus provincialis, post absolutionem gessit se pro provinciali et occultavit litteras vicariatus magistri Vincentii, facta super hoc testificatione plurium, privet illum omnibus litteris et gratiis concessis a reverendissimo et procedat nihilominus contra eum de commissis criminosis etiam in officio provincialatus et iudicet eum secundum constitutiones. Nec quaecumque litterae cuiuscumque generalis ei contra hoc suffragentur. 16 decembris, Romae.

1060. Prioribus, magistris et patribus ac fratribus nationis Segniae sive Croatiae: quod in posterum vicarium non eligere sed ita nominare valeant, ut convalidatio ex magistri generalis vel eius vicarii arbitrio pendeat; et quod pro prima vice vicarius sequentem in vicarium nominatum instituere et confirmare possit; et quod fratres sine licentia non recipiant. 6 ianuarii, Romae.

1061. Magister Antonius Modrusiensis, vicarius nationis Segniae, absolvetur; quando litteras leget, erit absolutus. 6 ianuarii, Romae.

1062. Frater Valentinus Modrusiensis, prior ibidem, assignatur in conventu Segniae, absolutus. 6 ianuarii, Romae.

1063. Natio Segniae, quae solvit octo ducatorum contributiones, quattuor dabit provinciali et quattuor vicario nationis. 7. ianuarii, Romae. [p. 290, n. 58]

1064. Magister Johannes de Sibenico assignatur in conventu Sulmonensi pro lectore. 19 ianuarii, Romae.

1065. Frater Clemens de Ragusio assignatur studens theologiae in conventu Sancti Dominici de Neapoli. 1 iulii, Neapoli.

1066. Praecipitur in virtute etc. reverendo magistro Vincentio de Catharo, provinciali Dalmatiae, ut faciat restituere quaecumque bona debita magistro Johanni de Sabinico, fratri Lucae, consanguineo suo etc. 28 iulii, Romae.

1067. Frater Benedictus de Brachia absolvitur a censuris et dispensatur cum eo in irregularitatibus; et assignatur in conventu Sanctae Mariae Gratiarum; et non datur aliqua paenitentia eo, quod venerit sine licentia. 3 augusti, Romae.

1068. Frater Vitus (Nutripedus) absolvitur ab omnibus censuris et dispensatur cum eo super irregularitatibus auctoritate etc.; et, donec de causa sua cognitum et iudicatum fuerit a reverendissimo magistro ordinis, suspenduntur omnes sententiae contra eum et restituitur, ac si non foret condemnatus. Item praecipitur in virtute Spiritus Sancti et sanctae oboedientiae, ut bona, quae erunt probata non esse fratris Viti, restituantur sine mora reverendo provinciali, prioribus et aliis etc. 6 augusti, Romae. Item additum est, quod assignatur in conventu Jadrae. Mandatur quoque priori vel praesidenti praedicti conventus, quod aut restituat ei suas vestes aut decenter induat eum. Mandatur item reverendo provinciali, quod significet, an omnes fratres posuerint bona sua in communi; qua de causa frater Vitus spoliatur bonis suis. Et quod de causa praedicti fratris Viti faciat publicas examinationes et acta coram ipso fi(a)nt, ita quod possit contradicere et defendere se secundum constitutiones; quae authenticata mittat ad reverendissimum magistrum ordinis. 6 augusti, Romae.

1069. Frater Mathaeus Niseus assignatur in conventu Jadrae. Item revocatur auctoritas data provinciali procedendi contra praedictum fratrem Mathaeum in his, quae gessit in suo provincialatu. Suspenduntur insuper poenae et condemnationes impositae ei, donec a magistro reverendissimo iudicatum fuerit. Mandatur item reverendo provinciali, ne impediatur eum exigere debita sibi tam a conventibus quam a fratribus. Nec se intromittat de contributionibus, quas reverendissimo magistro debet, sed tantum scribat, quo pacto res se habeat etc. 6 augusti, Romae. [pp. 290-291, n. 64]

1070. Praecipitur in virtute Spiritus Sancti etc. reverendo provinciali, priori et fratribus conventus Jadrae et aliis provinciae, quatenus infra spatium unius diei naturalis a notitia praesentium restituatur fratri Vito Nutripedo omnes patentes spectantes cuiuslibet magistri ordinis et omnes scripturas et ratiocinia hereditatis paternae. 8 augusti, Romae.

1071. Frater Vincentius de Lesina²⁴⁶ assignatur in biblicum et frater Hieronymus de Ragusio assignatur in magistrum studentium in conventu Sanctae Mariae Novellae de Florentia. 26 augusti, Romae.

1072. Notificatur provinciali, quod frater Mathaeus Niseus est absolutus ab omnia praesidentia cuiuscumque conventus et loci in ipsa provincia; et quod iudicium de debitis, quae praetendit deberi sibi, servatur ad capitulum generale; interim nil innovetur aut decernatur. 5 octobris, Romae.

1512

1073. Mandatur reverendo vicario et prioribus conventuum nationis Segniae sub poena absolutionis ab officiis, ad quam inferendam fit commissio-

²⁴⁶ Vinko Pribojević: J. Quetif—J. Echard, *Scriptores Ordinis Praedicatorum*, II, str. 119; S. Gliubich, *Dizionario biografico*, str. 261; A. Schmaus, *Vincentius Priboevius, ein Vorläufer des Panславismus*. Jahrbücher für Geschichte Osteuropas, Neue Folge, Band 1, Heft 3. München, Isar—Verlag, 1953, str. 243—254; M. Kombl, *Povijest hrvatske književnosti do preporoda*, Zagreb 1961, str. 68, 79, 123, 133, 219, 425; v. također V. Pribojević, *O podrijetlu i zgodama Slavena*. Uvod i bilješke napisao i tekst za štampu priredio akademik Grga Novak. Zagreb, JAZU, 1951.

rius reverendus provincialis, ut taxas et contributiones debitas ante separationem solvant fratri Mathaeo Niseo, olim provinciali, aut cum eo componant etc. 20 februarii, Romae.

1074. Mandatur reverendo provinciali sub poena absolutionis a provincialatu, ut cogat conventus solvere fratri Mathaeo Niseo, olim provinciali, contributiones sibi debitas, taxas capitulorum generalium Papiensis et Romani et expensas sibi restituendas, aut cum eo componere etc. 26 februarii, Romae.

1075. Fratri Mathaeo Niseo conceduntur gratiae iubilariatus et officium praedicatoris generalis in provincia sua, non obstante sententia dictarum gratiarum privativa a reverendo provinciali contra eum lata; conceduntur quoque bona sua in usus suos et socii etc. 20 februarii, Romae. [p. 292, n. 70]

1076. Frater Mathaeus Niseus assignatur in conventu Sanctae Mariae Gratiarum de Bolo cum fratre Thoma de Catharo, socio sibi concessio, cum paenitentis tamen et poenis sibi (indictis), quas reverendus provincialis, si ei visum fuerit, relaxare potest; qui si manere nolit, pro hac vice tantum potest volentem sibi eligere; mandatur quoque priori et patribus, ut eum recipiant; nec alius magistro inferior eos absque speciali licentia reverendisimi remove potest etc. 26 februarii, Romae.

1077. Conceditur priori et patribus conventus Lesinensis et fratri Mathaeo Niseo, ut eligant sibi duos arbitros, quibus sic electis committitur, ut faciant eis iustitiam super bonis fratris Andreae Hectoris et super taxis, contributionibus sibi debitis et expensis sibi a conventu Farenis et Corcirensi reficiendis, ut dicit, et finem liti imponant etc. 27 februarii, Romae.

1078. Significatur reverendis magistris, patribus et fratribus provinciae Dalmatiae, quatenus remittitur frater Mathaeus Niseus cum gratiis etc.; et datur eidem litterae testimoniales etc. 27 februarii, Romae.

1079. Significatur reverendo provinciali, quatenus est commissarius ad exequendas poenas prioribus nationis Segn(i)ae in patentibus contentas; qua auctoritate, praemissa monitione, utatur, si opus est etc. 28 februarii, Romae.

1080. Conceditur fratri Mathaeo Niseo, ne quis inferior magistro reverendissimo intromittat se de gestis sui provincialatus nec de contributionibus ab eo generali debitis, quia satisfecit etc. 28 februarii, Romae.

1081. Frater Vitus et frater Georgius et frater Andreas de Jadra deputantur in conventu Jadrae; declarantur absoluti a censuris. Mandatur quoque praesidenti Jadrensis conventus, ut eos recipiat etc. 5 maii, Romae.

1082. Frater Antonius de Pago assignatur in conventu Spalatrino et mandatur praesidenti, ut eum recipiat etc. 8 maii, Romae. [p. 293, n. 77]

1083. Vicario generali pro tempore congregationis Ragusinae, praesidentibus conventuum et fratribus eiusdem confirmantur videlicet: quod possint singulis annis celebrare capitulum et quod ordinationes in capitulo factae habeant vim ordinationum in ea capituli provincialis; et quod vicarius secundum morem dictae congregationis electus et a reverendissimo magistro ordinis et non ab alio confirmatus habeat auctoritatem super congregatione et fratribus eius; et habeat in ea locum, quem habet provincialis in provincia sua; cuius auctoritas duret per biennium vel circa, et quod ad tres annos non perveniat, sed eligatur, auctoritate superioris vicarii durante usque ad confirmationem et praesentiam novi vicarii in provincia. Si contingat ipsum mori, prior Ragusinus sit vicarius; si ipse sit impeditus vel moriatur, prior Sanctae Crucis sit ipse vicarius. Item, quod electores vicarii generalis ac diffinitorum capituli (sint) vicarius generalis praecedens, priores conventuum, socii priorum, magistri in theologia, et qui alias fuerunt vicarii generales,

priores in ea, vicarius Insulae Mediae et supprior conventus, in quo celebratur congregatio. Item, quod non expositus a congregatione per tres partes vocalium, (si) fiat magister in theologia, non gaudeat in ea privilegiis magistrorum dictae congregationis; et fugitivi praefatae congregationis seu qui habuerint licentiam ad aliquos transire conventus et non transierint, sed pro libito ad alios conventus iverint, non recipiantur, nisi per tres partes vocalium congregationis, si tempore congregationis redierint; extra vero tempus congregationis vicarius generalis et duo priores, de consensu duarum partium conventus Ragusini, illos, ubi eis videbitur, ponant et possint eos retinere usque ad congregationem proxime sequentem etc. In contrarium etc. 2 novembris, Romae.

1513

1084. Reverendus magister Augustinus de Ragusio fit commissarius contra fratrem Nicolaum, fratrem Raphaellem et fratrem Vincentium de Sancto Miniato et omnes eorum complices, consiliarios directe vel indirecte, fautores et suspectos, propter insultum factum in conventum et fratres Sancti Jacobi de Sancto Miniato, cum plena potestate quoad hoc citandi, excommunicandi, puniendi, praecipendi etc. 15 ianuarii Romae. [pp. 293-294, n. 79]

1085. Reverendus magister Augustinus de Ragusio, conventus Ragusini, fit commissarius Florentiae ad iustitiam faciendam canonicis regularibus de Florentia contra duos fratres Sanctae Mariae Novellae pro duobus equis titulo ignoto per eos retentis, videlicet fratrem Gregorium Liberum et fratrem Georgium Camerarium, et etiam ad quoscumque alios in hac causa implicitos. 25 ianuarii, Romae.

1086. Magistro Johanni de Sebenico conceditur licentia, ut, in quocumque conventu legitime assignatus moram fecerit, possit legere unam lectionem in artibus liberalibus. 31 martii, Romae.

1087. Frater Benedictus de Brachia assignatur in conventu Spalatrensi. 7 aprilis, Romae.

1088. Frater Basilius de Ragusio confirmatur in vicarium congregationis Ragusinae nomen auctoritate et praeceptis solitis. 10 maii, Genuae.

1089. Nomenclatura conventuum

Natio Segniae:

- | | |
|---------------------------------------------|------------------|
| 1. Bichachiensis, in dominio Regis Ungariae | 12. Poglici |
| 2. Modrusciensis, in dominio Regis Ungariae | 13. Urbisveteris |
| 3. Segniensis, in dominio Regis Ungariae | 14. Lesina |
| | 15. Torcula |
| | 16. Corc(i)ula |
| | 17. Catarum |
| | 18. Brachia |
| | 19. Dulchinium |

In Dalmatia

4. Pagensis
5. Nonensis
6. Jadrensis
7. Bagni
8. Sibenicensis
9. Traguriensis
10. Buduensis
11. Spalatensis

In natione Ragusina:

20. Ragusinus, in civitate
21. Conventus Sanctae Crucis, extra civitatem
22. Conventus Sancti Nicolai, extra civitatem

[p. 324]

Provincia Hispaniae

1090. Magister Alphonsus de Anguilar instituitur commissarius reverendi vicarii totius ordinis et dirigitur ad provinciam Dalmatiae cum plenissima super eam auctoritate ob controversiam, quae est inter reverendum illius provinciae priorem provincialem et inter datos a defuncto novissimo magistro generali commissarios. 21 octobris 1507, Romae. [p. 3, n. 2]

1091. Conceditur fratri Hieronymo de Pennafiel facultas componendi litem inter conventum Ragusinum et quendam Martinum Antonii de Ragusio et validatur compositio accedente consensu prioris et patrum praedicti conventus etc. 13 septembris (1511), Romae. [p. 23, n. 136]

Provincia Sancti Dominici Venetiarum

1092. Priori, patribus et fratribus Sanctorum Johannis et Pauli (praecipitur), ut consueta dent magistro Augustino Ragusino,²⁴⁷ regenti, ad cellam. 19 iunii (1508), Romae. [p. 71, n. 32]

1093. Magistro Sixto facta est commissio super quosdam libros a fratre Hieronymo de Sibinico indebite acceptos. 5 iulli (1508), Romae. [p. 75, n. 67]

1094. Venerandus pater frater Hieronymus Quirinus Venetus fit vicarius, commissarius et visitator provinciae Dalmatiae cum loco magistri et plenissima auctoritate, etiam absolvendi provincialem et instituendi vicarium provinciae etc. Et possit transferre capitulum provinciale quoad locum et tempus et illi interesse. Et sit supremus praesidens in illo. Praecipitur ei, ut exequatur commissionem. Omnibus illius provinciae personis utriusque sexus, ut oboediant; oppositione vel appellatione aliisque non obstantibus; et ei de impensis satisfaciant. Possit invocare brachium saeculare etc. Confirmatio tamen provincialis reservatur magistro ordinis. 22 martii (1510) Romae. [p. 87, n. 136]

1095. Commissio facta fratri Hieronymo Quirino de visitanda (provincia) Dalmatiae, registrata in praecedente facie huius folii sub 22 martii renovata est. 10 maii (1510), Romae. [p. 88, n. 144]

1096. Reverendo patri provinciali mandatur et committitur, ut compellat sub poena carceris fratrem Hieronymum de Scibinico ad deponendam pecuniam integram vini venditi conventus Scibinici in communi deposito conventus Sanctorum Johannis et Pauli infra spatium octo dierum a notitia praesentium; qua deposita, significet priori S(c)ibinici et ei rest(it)uendam curet etc. 19 ianuarii (1512), Romae. [p. 94, n. 191]

Provincia Romana

1097. Fratri Michaeli Januensi, magistro et priori conventus Sancti Dominici de Perusio, committitur plena auctoritas, ut cogat fratres conventus debitores olim magistro Ludovico, nunc episcopo Segniensi, ad solutionem debitarum nec solutarum contributionum eidem domino episcopo. 20 octobris (1507), Romae. [p. 103, n. 11]

1098. Priori Sancti Marci et magistro Augustino Ragusino committitur cum plena auctoritate inquirere, si qui fratres conventus Sanctae Mariae Novellae transgressi sunt ordinationem reverendissimi, quam inibi fecit de non communicando cum monialibus Sancti Dominici et Sancti Juliani; et

²⁴⁷ Augustin Nalješković. Usp. bilj. 137.

quos invenerint, puniant secundum tenorem ordinationis. Et unus sine alio possit inquirere, sed ambo proferant sententiam. Et praecipitur omnibus fratribus conventus Sanctae Mariae Novellae, ut eis oboediant. In contrarium etc. 10 decembris (1509), Pisis. [p. 129, n. 166]

Provincia Theutoniae

1099. Frater Michael de Augusta assignatur in baccalaureum ordinarium in conventu Sanctae Mariae Novellae pro praesenti anno. Confirmatur regens. Frater Vincentius Dalmata fit ibidem magister studentium. 18 iulii (1511) Romae. [p. 193, n. 66]

Provincia Hungariae

1507

1100. Fratri Benedicto de Loscuniz praecipitur, ut quosdam libellos resituat magistro Dominico, priori Sebnicensi. 14 octobris, Romae. [p. 215, n. 1]
1508

1101. Patribus et fratribus conventus Posseguarensis praecipitur, ut satisfaciant fratri Gregorio de Hungaria infra terminum trium dierum sub poena gravioris culpae, quam contrafaciendo ipso facto incurrunt. 17 iunii, Romae. [p. 216, n. 11]

1102. Reverendo provinciali Hungariae committitur discussio quaestus conventus Garensis et aliorum. 17 iunii, Romae. [p. 216, n. 15]

1103. Frater Stephanus Veronochiensis assignatur in conventu Posegarvarensi. 19 iunii, Romae. [p. 216, n. 16]

1104. Magister Gregorius de Gara assignatur in conventu Segadiensi. 19 iunii, Romae. [p. 216, n. 17]

1105. Frater Bartholomaeus conventus Seb(ni)chensis assignatur in conventu suo nativo. 19 iunii, Romae. [p. 216, n. 18]

1106. Priori et fratribus conventus Zagabriae (nuntiatur), quod sententia lata de magistro Gregorio de Gara ratificatur. 22 iunii, Romae. [p. 216, n. 20]

1511

1107. Fratri Johanni conventus Posagavrensis fit assignatio ubi benevolos invenerit receptores in provincia Ungariae. 11 septembris, Romae. [p. 219, n. 37]

1108. Frater Georgius conventus Posagavrensis restituitur ad gratias ordinis ac si habitum non dimisisset transeundo ad aliam religionem, quia revertitur ad patres suos veniam petens; et pro paenitentia iniungitur ei pro nunc unum psalterium et quod ante evolutionem anni praesentis ieiunet per tres menses omnibus sextis feriis in pane et aqua, reservando sibi reliquum paenitentiae debitae; et assignatur ubi benevolos in eadem provincia Ungariae invenerit receptores. 11 septembris, Romae. [p. 219, n. 38]

1513

1109. Frater Martinus de Cremnicia conventus Sebenicensis potest manere in provincia Theutoniae in conventu cui eum provincialis Theutoniae assignabit. 13 maii, Januae. [p. 221, n. 53]

Congregatio Ragusina

1521

1110. Frater Ambrosius de Ragusio pro provincia Dalmatiae assignatur in studentem theologiae conventui Sancti Dominici de Neapoli. 24 maii.

[p. 80, n. 79]

1111. Frater Felix de Ragusio,²⁴⁹ diaconus, dispensatur ad sacerdotium completo 22 suae aetatis anno. Neapoli, 1 septembris 1521.

[p. 81, n. 80]

Provincia Dalmatiae

1520

1112. Frater Gregorius de Catharo assignatur conventui Zarensi, si non propter aliam causam ab eo recesserit quam pro visitatione cuiusdam fratris sui extra provinciam existentis, et hoc ad maiorem securitatem, quia dicebat non remotum fuisse. 16 octobris.

[p. 81, n. 82]

1521

1113. Vicario congregationis Croatiae²⁵⁰ conceditur posse deputare fratres in locis Tursatii, Brignii et Portus Regii interim quod ab ordine acceptantur vel refutantur, intimeturque capitulo generali; item conceditur quod possit fratres undecumque venientes praeterquam ex Dalmatina provincia accipere propter omnimodam congregationis desolationem; item quantum ex auctoritate pendet etc. conceditur, quod dispensare possit super mensae silentio propter impossibilitatem tenendi etc. delinquentesque absolvere; quae omnia conceduntur propter suppositorum paucitatem et magnam inopiam quam patiuntur fratres ex propinquitate ad Turcos. Omnia tamen a reverendissimo et capitulo generali petantur. 30 martii.

[p. 81, n. 83]

1114. Reverendo provinciali per patentes committitur, quod per se vel alium aut alios visitet nationem Segniensem et quod audiat, decidat et fine debito terminet causas contra reverendum vicarium fratrem Nicolaum Sturlijch praedictae nationis, ad quod faciendum tota auctoritas communicatur, excepto quod dictum vicarium absolvere non possit et mandatur omnibus, videlicet vicario, conventibus, monasteriis, collegiis et omnibus utriusque sexus, quod dicto provinciali tamquam reverendissimo oboediant. Die 8 maii.

[pp. 81—82, n. 84]

1115. Reverendo provinciali per clausas datur facultas absolvendi fratres, si poenitentiam egerunt, a poenis, excepto fratre Thoma de Brachia etc.; scribitur et etiam revocatur excommunicatio et annullatur tamquam periculosa, quae facta fuit, quod nullus loqueretur aut communicaret ea, quae cum ipso, scilicet provinciali Terrae Sanctae, locuti fuerant. Annullatur etiam licentia data cuidam moniali, quod posset loqui cum matre apertis ianuis; loquatur autem temporibus et locis, quibus aliae loquuntur. 8 die maii.

²⁴⁸ Registar objavljen u: *Monumenta Ordinis Praedicatorum historica*, XXI. Institutum historicum FF. Praedicatorum, Romae 1947, str. 80—82.

²⁴⁹ Vjerojatno Felix Dimitri de Ragusio o kojemu v. HAD, *Catalogo delle famiglie cittadine di Ragusa*, f. 5v; *Genealogia di alcune antiche famiglie della confraternita di S. Antonio di Ragusa*, f. 25r.

²⁵⁰ Usp. S. Krsić, *Hrvatska dominikanska kongregacija (1508—1587)*. Bogoslovsko smotra, XLI, br. 2—3 (Zagreb 1971), 293—309.

1116. Frater Martinus de Jadra propter senectutem eximitur ab onere faciendi hebdomadarium in altari, de consensu tamen reverendi provincialis. 8 eiusdem.

1117. Reverendis magistris fratri Dominico Buchia²⁵¹ et fratri Vincentio de Faro committitur et mandatur, ut vocatis vocandis, procedant ad approbationem vel infirmationem sententiae latae contra fratrem Georgium Belchamich Jadertinum, priorem Segniensem, iustitia mediante et materiam prae oculis habentes, et ista causa intra duos menses terminetur et isto interim dictus frater Georgius stet sub salvo conducto meo, et nullus me inferior in eum manus ponat propter contenta in processu contra eundem, et quod iuridice procedant quantum ad declarationem commissae culpae et poenarum incurсарum; absolutiones ipsarum reservantes, onerantur ipsarum conscientiae super dispensatione incurсарum et declaratarum, super qua datur auctoritas, ad quod exequendum tota auctoritas conceditur tam super eum Georgium quam super alios fratres. 28 maii.

1118. Frater Antonius de Lesina dispensatur ad ordinem presbyteratus in 22 anno completo, si a priore aut suppriori conventus Bononiensis idoneus approbatus fuerit, quae approbatio in patentibus subscribatur. 26 octobris.

Provincia Sancti Thomae

1119. Reverendus magister frater Antonius de Caramanico assignatur conventui Sulmonae. Item deputantur fratres quattuor, videlicet Hyppolitus de Aquaviva, Nicolaus de Venusio, Jacobus de Monopoli dispersi huiusmodi extra provinciam et sunt dictae provinciae, et Valerius Dalmata, ad dictum conventum, ut audiant ab eo unam lectionem. 25 iunii 1520. [p. 122, n. 349]

Provincia Hungariae

1120. Reverendo provinciali committitur, ut faciat iustitiam fratri Blasio de quibusdam pecuniis duobus conventibus nationis Croatiae mutuatis et de vulneribus inflictis cuidam suo germano fratri et committitur super illis etiam si forte non sint sub eius iurisdictione. Per clausas. 19 maii (1520).

[p. 136, n. 438]

Antonius de Ferrara, vic. gen. (1523)

Provincia Dalmatiae

1121. Data est licentia fratri Thomae de Ragusio,²⁵² praedicatori, ut possit cum benedictione provincialis sui visitare sanctissimum Domini sepulcrum et etiam habere secum socium fratrem Gregorium de Transilvania. 22 iulii, 1523. [p. 144, n. 18]

Provincia Hungariae

1122. Fratres Stephanus de Posega et Franciscus de Kezii fuerunt facti filii conventus Sancti Antonii civitatis Pestiensis in provincia Ungariae accedente tamen consensu maioris partis filiorum nativorum dicti conventus. 6 aprilis, 1523. [p. 159, n. 151]

²⁵¹ Dominik Buča iz Kotora. Usp. bilj. 229.

²⁵² Vjerojatno Toma Bacrovich o kojemu v. S. Cerva, *Iconotheca illustrium fratrum congregationis Ragusinae*, 1728 (rukopis u dominikanskoj knjižnici u Dubrovniku), str. 126–127; HAD, Distributio testamentorum, 31, ff. 166v, 167v, 168rv; 32, f. 165v; 25, f. 48v.

1123. Vicario generali ac fratribus congregationis Ragusinae intimatur esse approbata et confirmata infrascripta, videlicet quod quilibet anno possint celebrare congregationem per modum capituli provincialis et ordinationes facte ibidem habent vim ordinationum capituli provincialis. Item, quod antiquus vicarius confirmet novum, vel prior Ragusinus, vel prior Sancte Crucis; altero ipsorum vel ambobus mortuis et mortuo prefato vicario et priore Ragusino, prior Sancte Crucis remaneat loco vicarii et quam primum electo vicario novo reddatur certius reverendissimus generalis; et quod electores vicarii sint magistri in theologia, priores, vicarius Insulae Mediae et superior conventus ubi celebratur capitulum; item, quod vicarius habeat auctoritatem super fratres, sorores et personas de tertio habitu, quam habent provinciales in provincia sua; et auctoritas duret per biennium vel circa, non tamen duos annos cum dimidio, sed elapso biennio vel circa alius eligatur in vicarium auctoritate prioris vicarii durante usque ad confirmationem et presentiam in congregatione nuper electi vicarii; et ipso decedente, quo casu prior Ragusinus in vicariatu remaneat usque ad confirmationem novi vicarii vel, eo mortuo, prior Sancte Crucis, ut supra. Et quo casu mortuus fuerit vicarius tribus mensibus ante capitulum, vicegerens quam primum teneatur convocare vocales et electores, ut supra, et electionem de vicario facere; et celebratio capituli post Pascha postea celebretur tempore consueto, alias et ipsa electio ad capitulum differenda sit. Item, si quod frater non expositus ab ipsa congregatione capitulariter ad magisterii insignia per tres partes vocum magistrorum gratis non gaudeat; item, quod fratres fugitivi dicte congregationis et qui habuerint licentiam ad aliquos conventus transeundi et ad illos non transierint, sed ad libitum quocumque ierint non recipiantur nec retineantur in conventibus congregationis, nisi per tres partes vocalium congregationis, si tempore congregationis ad illos se transtulerint; extra vero vicarius generalis et duo priores de consensu duarum partium patrum conventus Ragusini tales ponant ubi eis videbitur usque ad congregationem futuram. In contrarium facientes (etc.) Non obstantibus. 9 iunii, Romae.

[20, f. 153r]

1124. Fratri Bernardo de Ragusio conceditur licentia, ut possit recipi ad filiationem alicuius conventus congregationis Lombardiae, volentes eum. 10 iunii.

1125. Frater Hieronymus conversus de Spalatro transfertur ad filiationem conventus Sancti Dominici de Neapoli, accedente consensu prioris et maioris partis patrum dicti conventus. 11 iunii.

1126. Priori pro tempore conventus Traguriensis conceditur facultas videndi quasdam domunculas modice utilitatis et pretium illarum convertatur in meliorem utilitatem et etiam pro reparatione ecclesie, de consilio tamen reverendi provincialis. 12 iunii.

1127. Reverendo patri magistro Vincentio Buchia, provinciali, conceditur, quod possit eligere conventum et socium ad vitam, et quod nullus possit eum cogere ad prelaturam, etiam sub censuris, nec amovere a conventu electo per ipsum quacumque de causa; et quod successor in provincialatu ipsius non possit amplius de rebus provinciae ab eo repetere que receperit a suo predecessore. Conceditur ei facultas tenendi pro necessitatibus suis aureos

decem, non obstantibus quibuscumque in contrarium etc. Inhibetur omnibus, ne audeant quocumque modo molestare, quin his gratiis potiatur. 12 iunii, Rome. [f. 153v]

1128. Prioribus ac presidentibus conventuum provincie mandatur in virtute Spiritus Sancti et sancte obedientie, quatenus debeant solvisse contributiones integras de anno 1525 in mense novembris futuro reverendo patri magistro Vincentio Buchia, vicario provincie. 12 (iunii) Rome.

1129. Reverendo patri magistro Vincentio Buchia quam primum fuerit in provincia declaratur esse absolutus a provincialatu et instituitur vicarius dicte provincie cum autoritate solita dari huiusmodi vicariis provincialium. Item intimatur, quod capitulum omnino faciendum est in provincia et in conventu Farense in die Sancti Lucae futuro proximo; et instituitur vicarius electionis futuri provincialis, mandaturque omnibus fratribus, ut ei obediant. 12 (iunii).

1130. Fratri Sixto de Jadra conceditur facultas, quatenus possit effici filius nativus alicuius conventus congregationis Lombardie, de consensu tamen reverendi vicarii dicte congregationis et maioris partis fratrum dicti conventus. In contrarium. 13 (iunii).

1131. Fratribus congregationis Croatiae ordinatur, quod omni biennio in mense februario capitulum congregationis debeant celebrare, in quo eligatur vicarius generalis, qui vicarius non possit durare nisi per biennium, nisi iterum a fratribus fuerit postulatus; quod si per voces fuerit absolutus, tunc alius electus per vicarium absolutum confirmetur; et quod post quemlibet annum octavum ordinatur, ut talis vicarius electus pro confirmatione sua mittat ad reverendissimum generalem in recognitionem subiectionis. Item acceptantur loca Tersatii, Brignie et Portus Regii pro conventibus ordinis. 19 iunii.

1132. Fratri Grisogono de Catharo conceditur, quod possit retinere penes se aliqualem pecuniam datam sibi a parentibus vel ab aliquo alio causa infirmitatis sue tantum, ut possit sibi providere in suis necessitatibus. In contrarium facientibus, non obstantibus, nolens aliquo inferiore illum posse molestare hac in re. 5 augusti.

1133. Frater Valerius de Tragurio assignatur in studentem theologie in conventu Sancti Dominici de Perusio cum gratiis etc., accedente consensu presidentis et prioris dicti conventus. 8 augusti, Rome.

1134. Reverendus pater frater Lucas de Spalatro confirmatur in provinciale cum autoritate solita dari huiusmodi provincialibus in dicta provincia tum de iure, quam de consuetudine, super fratres, sorores et personas quomodocumque ordini subiectas, tum in temporalibus quam in spiritualibus etc. Et precipitur, ut indilate acceptet. Et sub eodem precepto mandatur omnibus ordini subiectis in dicta provincia, ut ei obediant. 6 novembris, Lirii.

1135. Frater Nicolaus de Lesina absolvitur a pena gravioris culpe, in qua fuerat per triennium imposita a provinciali nunc existente et abilitatur ad vocem activam et passivam et ad alias ordinis gratias. In contrarium, non obstantibus. 6 novembris, Lirii. [f. 154r]

1526

1136. Frater Andreas de Catharo assignatur in conventu Barolitano pro magistrum studii cum gratiis et privilegiis etc. dari consuetis huiusmodi magistris studentium assignatis in aliis studiis generalibus etc. 10 iulii, Florentie.

1137. Fratri Andree de Catharo antedicto conceditur, quod elapso presente anno, videlicet 1526, et elapsa solemnitate Penthecostes anni futuri proximi possit promoveri ad bachelarium pro forma et gradu magisterii in ali-

qua universitate, accedente tamen prius assensu capituli provincie suę etc. 10 iulii, Florentię.

1138. Frater Eustachius de Lesina, bacchaliarius, confirmatur in bacchalarium ordinarium in conventu Sancte Marię Novellę de Florentia ad legendum *Sententias* pro futuro anno et licentiatur ad magisterii insignia suscipienda in aliqua universitate, dummodo accedat consensus reverendi provincialis et patrum provincię etc. 6 septembris, Florentię.

1139. Frater Bernardus de Ragusio congregationis Ragusine dispensatur, quod possit promoveri ad sacerdotium de consensu prelati sui, non obstante quod non attigerit vigesimum quintum annum, aut aliis quibuscumque in contrarium facientibus etc. 4 novembris, Ferrarię.

1140. Matribus et sororibus monasterii Sancti Demetrii de Zara conceditur, quod tempore ingruentis pestis, iudicio virorum proborum, si sine discrimine salutis in eo esse aut moram trahere non possint, valeant ad possessiones suas aut alia loca honesta se secedere ibique commorari, quoad tuto redire poterint etc. 29 decembris, Venetiis.

1141. Fratri Thomę de Faro conceditur, quod possit ad quodlibet studium cuiuscumque provincię vel congregationis accedere, ubi invenerat benivolos receptores et inibi esse quoadusque compleverit studium suum. Et inhibetur inferioribus, ne audeant in hoc negotio ipsum molestare etc. 30 decembris, Venetiis.

1527

1142. Fratri Thomę de Pharo supradicto conceditur, quod possit exigere 15 ducatos quos debet ei Michael, eius germanus, secundum tenorem testamenti sui facti ante professionem, cui reliquit bona sibi provenientia iure hereditario, et exponere tam pro studio, quam pro aliis necessitatibus suis. Et inhibetur omnibus inferioribus ne audeant ipsum hac in re molestare etc. In contrarium non obstantibus. 4 ianuarii, Tarvisii.

1143. Frater Georgius de Scibinico instituitur ac assignatur pro bachalario extraordinario in conventu Sancte Marię Novellę de Florentia usque ad capitulum sequens de anno 1528 celebrandum, incipiendo a festo Pentecostes proxime futuro, cum gratiis etc. Prima martii, Paduę.

1144. Frater Sixtus Nardinus de Sibinico, bachalarius, assignatur in conventu Patavino, postquam expleverit cursum sui bachalariatus in conventu Sancti Eustorgii de Mediolano, cum gratiis et privilegiis consuetis dari bachalariis extraordinariis in dicto conventu; et assignatur per triennium etc. 5 aprilis, Mediolani.

1145. Frater Sixtus suprascriptus confirmatur in bachalarium ordinarium conventus Sancti Eustorgii usque ad capitulum generale futurum anno sequenti, videlicet 1528, et quatenus opus est assignatur ibidem ad legendum *Sententias* pro gradu et forma magisterii cum gratiis et privilegiis consuetis dari huiusmodi bachalariis ordinariis etc. 19 aprilis, Taurini.

1146. Frater Sixtus suprascriptus transfertur de provincia et conventu suo ad aliquem conventum benivolum provincię Sancti Dominici et Sancti Petri Martyris, de assensu tamen maioris partis filiorum nativorum conventus ubi erit recipiendus. 19 aprilis, Taurini.

Provincia Romana

1147. Reverendi provinciales, qui interfuerunt electioni cum diffinitoribus et electoribus pro eligendo reverendissimo magistro ordinis 1525, ubi fuit

ellectus reverendissimus pater magister Franciscus Silvester Ferrariensis: Frater Vincentius Buccia, magister, provincie Dalmatię, absolutus in eodem capitulo generali; reverendi diffinitores: frater Gregorius de Jadra, magister, diffinitor Dalmatię; reverendi ellectores: frater Dominicus de Buccia, magister, ellector Dalmatię. [f. Bv]

1148. Reverendo patri magistro Joanni Policarpo de Sebenico conceditur, quod possit acceptare duo beneficia ecclesiastica sibi tradenda a sanctissimo domino nostro papa, dummodo infra sex menses debeat renuntiassse cuidam suo nepoti, alioquin si exactis dictis sex mensibus non renuntiaverit, non potest gaudere gratiis et privilegiis ordinis. Interim conceditur, quod possit gaudere ut antea etc. et declaratur non exire ipsum propter dicta beneficia interim extra limites ordinis, nec obedientiam eius. Non obstantibus constitutionibus ordinis etc. 20 augusti (1525). [f 51v]

Provincia Hungariae

1149. Frater Georgius de Urbona, prior conventus Zagrabiensis, transferatur ad illum conventum nationis Sclavonię, ubi invenerit benevolos receptores, assentiente tamen maiori parte vocalium dicti conventus. 27 augusti (1525), Romę. [f. 98r]

Procuratores et vicarii generales (1525-1531)

Provincia Dalmatiae

1525

1150. Frater Thomas de Faro remittitur ad provinciam suam Dalmatiam et mandat presidenti provincie, ut alicubi assignet illum et casu, quo non remeneatur Neapoli, precipitur, ut infra 40 dies se presentet provinciali vel presidenti Dalmatię. Rome, 21 septembris. [22, f. 134r]

1151. Frater Dominicus de Pago assignatur in conventu Sancte Marie de Populo de Emonia in provincia Sancti Dominici de consensu provincialis eiusdem provincie. 5 decembris.

1526

1152. Frater Lucas Catharensis, provincialis, rogatur, ut satisfaciatur devotioni sororis Jacobine de Dominicis, Spalatensis, in eligendo confessore; et totum comittitur in arbitrio predicti provincialis. 12 ianuarii.

1153. Fratri Basilio de Ragusio conceduntur pecunie intuitu persone dande, quas de licentia prelati in suos honestos et licitos usus convertere possit, dummodo in communi deposito, non apud se, teneat; eximitur ab hebdomadaria et non potest in predictis impediri. 29 ianuarii.

1154. Sorori Thomasie, monasterii Sancti Michaelis de Ragusio, annorum 73, conceditur ut possit confiteri cum omni autoritate mea alicui fratri congregationis Ragusine, exposito ad audientiam confessionum fratrum et secularium, bis in anno. 29 (ianuarii).

1155. Mittitur quietantia contributionis anni 1525 debita procuratori ad magistrum Dominicum de Catharo, qui debet omnia magistro Vincentio Buchia vel provinciali. 6 martii.

1156. Frater Salvator de Jadra assignatur in conventu Urbini, provincie Sancti Dominici. 13 aprilis.

1157. Frater Antonius de Ragusio assignatur in conventu Sancti Dominici de Ragusio. 11 novembris.

1528

1158. Absolvitur reverendus vicarius generalis congregationis Ragusine ex commissione reverendissimi protectoris. 1 iulii.

1159. Frater Petrus de Viglevano mittitur visitator congregationis Ragusine. 24 octobris, 1528.

1160. Frater Sixtus Nardinus de Sibenico provincie predictae fit magister 14 Kalendas ianuarii per reverendissimum vicarium Paulum Butigellam, procuratorem ordinis. (Eadem die).

1529

1161. Magistro Sixto Dalmate, predicto, committitur, ut sit executor bonorum fratris Georgii de Sebenico, baccalarii, qui obiit in agro Florentino, cum hoc quod teneatur reddere rationem provincie suae Dalmatiae. 25 martii, 1529.

1162. Fratri Alberto de Novo Monte, congregationis Ragusine, datur licentia eundi Hierusalem. 20 aprilis.

1163. Frater Thimotheus de Catharo, qui discesserat sine scitu sui provincialis, assignatur in conventu Jadre. 5 maii.

1164. Provinciali Dalmatiae missa authentica brevis institutionis reverendi patris fratris Pauli Butigelle in vicarium ordinis cum precepto, ut mittat illius transumptum ad provincialem sibi proximiorum. Die 27 februarii, 1529.

1165. Frater Mattheus de Spalato, qui commiserat delictum in Dulchinio cum una muliere et aufugerat in Italiam, penitentiam fecit in conventu Spoletti sub magistro Eustachio de Lesina, priore, mandante reverendo patre vicario ordinis fratre Paulo Butigella. Et pena fuit, ut per quattuor dies sit in carcere et per menses tres postea agat penitentiam taxatam in capitulo de graviore culpa. 23 maii, 1529. [f. 134v]

1166. Frater Vincentius de Bonis, Rhagusine congregationis, habet licentiam eundi Hierusalem; et omnibus presidentibus commendatus est. 4 octobris.

1167. Frater Thomas de Rhagusio, provincie Dalmatiae, baccalarius, habet licentiam eundi Hierusalem ad visitandum loca sancta. 4 octobris.

1168. Provinciali scriptum, ut veniat ad capitulum et preceptum sub pena gravioris culpe, quam immediate contrafaciendo incurrat, ut mittat copiam brevis provinciali propinquiori. 8 novembris.

1169. Frater Johannes de Jadra, sacerdos ex conventu Ferrariensi, assignatus est Jadre. 20 (novembris).

[1530]

1170. Magister Angelus Pasqualis de Catharo,²⁵³ professus Sancti Nicolai de Catharo, cum licentia suscepit episcopatum Castrensem; et gaudere sibi concessum gratis et privilegiis ordinis. 12 ianuarii, 1530.

[1528]

1171. Magister Sixtus de Sebenico habuit literas testimoniales de bona sua conversatione dum fuit extra provinciam et quod propterea debet gaudere

²⁵³ C. Eubel, *Hierarchia catholica medii aevi*, III, Monasterii 1910, str. 251; P. B. Gams, *Series episcoporum Ecclesiae catholicae*, Ratisbonae 1873, str. 873; J. Gelcich, *Memorie storiche sulle Bocche di Cattaro*, str. 202; G. Alberigo, *I vescovi italiani al concilio di Trento*, Firenze 1959, str. 202; A. Walz, *I domenicani al concilio di Trento*, Roma, Herder, 1961, str. 66, 70, 73, 75, 80, 85 s., 90, 94, 102 s., 105, 114, 124, 125, 127 s., 149, 154 s., 161, 175, 178 s., 182, 192 s., 199, 210—217, 219—223, 235, 420.

voce activa et passiva in ipsa sua provincia, sicut et reliqui fratres, qui numquam abierunt. 22 decembris, 1528.

[1530]

1172. Provinciali Dalmatie scriptum, ut boni pastoris more gerat se in fratrem Thimoteum de Catharo ad se venientem et permittat eum Ferrariam redire, afferendi gratia responsionem quarundam literarum, quas habuit a quibusdam dominis, nisi obstet quid, quod sit contra honorem religionis. Prima februarii, 1530.

1173. Fratribus Bernardo, Archangelo et Michaeli Ragusinis²⁵⁴ scriptum eisque preceptum in virtute Spiritus Sancti et sancte obedientie et sub pena gravioris culpe et sub pena privationis gratiarum omnium ordinis, ut omnino resistant a publicatione bullarum quarundam. 9 februarii.

1174. Frater Michael de Ragusio habet licentiam se transferendi a congregatione sua ad aliquem conventum congregationis Lombardie, ubi benivolos invenerit receptores de consensu reverendi vicarii generalis et patrum diffinitorum congregationis predictae. Die 9 aprilis. [f. 135r]

1175. Frater Triphon de Cattaro assignatur in studentem theologiæ in conventu Sancti Augustini de Padua cum omnibus gratiis et exemptionibus ac privilegiis dari consuetis huiusmodi studentibus in theologia in predicto conventu assignatis. 17 aprilis.

1176. Frater Lucas de Spalatro absolvitur ab officio provincialatus et instituitur tamen vicarius provincie et electionis provincialis; et capitulum pro dicta electione celebrandum est in festo futuro Sancti Lucae. Et adhortantur patres, ut in dicta electione sint pacifici et uniformes et provideant de idoneo pastore etc. Item fit mentio in literis de brevi apostolico obtento pro temporalitate provincialatus. 12 iunii, Romæ.

1531

1177. Assignatur frater Johannes de Pannonia conventui Sancti Petri Martiris in Civitate Veteri. 1531, die 14 januarii. [f. 135v]

Provincia Hungariae

1178. Frater Antonius de Gara eximitur a lectione mense et hebdomadaria facienda propter debilitatem visus et oculorum infirmitatem. 13 decembris (1525). [f. 76r]

1179. Frater Paulus organista assignatur in conventu Chasmensi de Quinque-Ecclesiensi et mandatur, ut iter quam primum arripiat. 26 martii, (1526).

1180. Frater Joannes Valamytich assignatur in conventu Chasmensi de Posegavarensi, cum eodem mandato. 26 martii, (1526).

Procuratores et vicarii generales (1531-1544)

Provincia Dalmatiae

1531

1181. Magister Eustachius de Lesina habilitatur ad omnia officia ordinis usque ad provincialatum inclusive. Rome, die 11 decembris 1531. [21, f. 144r]

1181^a. Provinciali edicitur capitulum futurum proximo festo Penthecostes ex mandato sanctissimi domini nostri (pape). Rome, 11 decembris 1531.

²⁵⁴ Michael Cicerus de Ragusio: S. Cerva, *Iconotheca*, str. 180, HAD, Acta Consilii Rogatorum, 45, f. 116r; Litterae et commissiones Levantis, 22, ff. 219r—221v; Distributio testamentorum, 31, f. 109r; 33, f. 36r.

1182. Fratri Francisco de Ragusio per literas patentes conceditur facultas discedendi congregationem Ragusinam atque petendi ad provinciam Lombardiae, petita licentia a reverendo vicario congregationis, licet non obtenta. Romae, 20 augusti.

1183. Reverendo vicario generali fratri Seraphino de Bonis de Ragusio declaratur per literas patentes, qualiter alia clausula contenta in ultimo privilegio eis per reverendissimum generalem novissime concessa, quae tamen a nuntio sine eorum scitu posita fuit, quod electores vicarii, nisi steterint per triennium in aliqua universitate studii, non habeant vocem etc. de consilio patrum atque reverendissimi viceprotectoris Burgensis extinguitur, quia minus grata et utilis tali modo electio redderetur. Item absolvuntur a precepto de contributionibus solvendis provincialis Dalmatiae pro reverendissimo generale atque procuratore ordinis, dummodo solvant et solverint prout per cedulas ostenderint. Romae, 21 augusti.

1184. Confirmantur privilegia congregationis Ragusinae, dempta clausula quod non teneantur fuisse in studio, prout immediate superius habetur per patentes. Romae, 24 augusti.

1185. Magistro Dominico Buchiae praecipitur in virtute Spiritus Sancti et sanctae obedientiae, quatenus infra 15 dies a notitia literarum debeat satisfacisse de expensis factis magistro Antonio de Lesina, factis in itinere ad Urbem, quando fuit a predicto magistro Dominico condemnatus in penam gravioris culpae, quae ex equo videntur importare summam ducatorum 10, quod per commissionem reverendissimi magistri fuerat ordinatum, ut, qui perderet causam, teneretur ad expensas et dicti magistri Dominici sententia contra predictum magistrum Antonium fuit annullata per magistrum Gregorium de Ragusio et fratrem et fratrem Vincentium de Catharo super hoc deputatos a magistro generali. Romae, 24 augusti.

1186. Reverendus pater frater Hieronymus de Catharo confirmatur in provincialem cum auctoritate solita concedi provincialibus, qui fuit electus per compromissum in magistrum Dominicum Buchiam et fratrem Augustinum de Corzula, ac sanctissimus dominus (papa) oraculo vivae vocis supplevit ad omnes defectus, testante reverendissimo cardinale Sanctae Crucis. Per patentes. Romae, 24 augusti.

1187. Frater Lucas de Brachia, conversus, affiliatur conventui Spalatrensi e conventu Brachiae de consensu provincialis et patrum conventus Spalatri. Romae, 25 augusti.

1188. Frater Nicolaus de Craina eidem conventui affiliatur ex conventu Civitatis Veteris cum eisdem clausulis supradictis etc. Romae, 25 augusti.

1189. Praesidentibus omnibus tam conventuum quam locorum praecipitur in virtute ac sub pena absolutionis ab officiis mandatur, quod debeant solvere taxam infra tempus praefigendum a reverendo provinciali eis impositam seu imponendam tam pro viatico, quam pro propina illius, qui pro confirmatione provincialis missus fuit. Romae, 25 augusti.

[1525]

1190. Dalmatiae provincia debet dare ducatos sex auri de camera pro contributione presentis anni 1525.

[1530]

1191. Solvit ad annum 1530 inclusive.

Provincia Sancti Dominici Venetiarum

1192. Frater Valerius de Tragurio, bachalarius, provinciae Dalmatiae, canonice et conformiter electus in priorem conventus Sanctae Mariae de Mercato apud Sanctum Severinum, confirmatur in priorem dicti conventus cum auctoritate solita dari, cui praecipitur in virtute Spiritus Sancti etc., ut infra spacium unius horae a notitia habeat acceptare dictum prioratum. Sub eodem praecepto omnibus et singulis fratribus dicti conventus mandatur, quatenus illi obediant etc. Per patentes. Romae, 7 novembris (1544). [f. 61r]

Provincia Regni

1193. Frater Laurentius de Lesina assignatur in studentem formalem sacrae theologiae in conventu Sancti Dominici de Neapoli cum omnibus gratiis et pro rata provinciae Dalmatiae. Per patentes. Romae, 15 novembris (1544). [f. 80v]

Provincia Sanctae Crucis

1194. Fratri Nicolao de Segnia²⁵⁵ conceditur licentia et facultas eundi cum benedictione Dei et nostra ad sanctum Christi sepulcrum pro satisfactione cuiusdam nobilis benemeritis id petentis, et habita licentia etiam a vicario congregationis Ragusine. Die 12 maii, 1532. [f. 187r]

Procuratores et vicarii generales (1533-1537)

Provincia Dalmatiae

1195. Cassata fuit electio conventus Jadrensis de priore propter defectus in ea contentos. Die 16 augusti, 1533. [23, f. 122r]

1196. Frater Antonius de Dalmatia assignatur in conventu Sancti Dominici de Perusia in studentem sacre theologie pro rata suę provincię Dalmatie. Rome, 22 iunii 1536.

Congregatio Ragusina

1197. Frater Philippus de Ragusio²⁵⁶ est assignatus in studentem theologie in conventu Sancti Dominici de Bononia. Pisis, 4 octobris 1533. [f. 178r]

Procuratores et vicarii generales (1532-1538)

Provincia Dalmatiae

1534

1198. Determinatum est tempus capituli provincialis, id est quod fiat infra festum Penthecostes et festum Omnium Sanctorum; et declaratum est, quod prior Torcule in tali capitulo non habet vocem activam. Rome, 27 ianuarii. [24, f. 108r]

1199. Frater Jordanis de Jadra liberatus est ab omni pena, quam ob discessum sine licentia superiorum meruerat. (Eadem die).

1200. Frater Vincentius, magister, et magister Dominicus de Catharo habent facultatem imprimendi quedam sua opuscula, dummodo prius revideantur. Rome, 28 ianuarii.

²⁵⁵ Usp. HAD, Distributio testamentorum, 30, f. 263v.

²⁵⁶ Usp. HAD, Distributio testamentorum, 32, f. 223v.

1201. Magister Gregorius Letus de Jadra ordinis predicatorum absolutus a pena gravioris culpe quam incurrit, quia recessit et mansit extra conventum sui ordinis in conventu aliorum religiosorum; que penitentia data fuit a priore conventus Jadre cum ratificatione reverendi provincialis; qua pena commutata est in sedendo in terra in predicto refectorio fratrum in pane et aqua et in suscipiendo unam disciplinam coram omnibus sacerdotibus, ultra psalteria et psalmos impositos. Item restitutus est ad omnes gratias et privilegia, quas habent ceteri fratres et magistri. Et declaratus est assignatus in conventu Jadre et confirmata est ei licentia predicandi extra provinciam suam, quam habuit a reverendissimo generali magistro Francisco Ferrariensi. Rome, 28 aprilis.

1202. Concesse sunt elemosine, que habentur ex predicationibus magistro Gregorio Leto de Jadra, sicut ceteris magistris et predicatoribus illius provincie conceduntur. Rome, 28 aprilis.

1203. Frater Trifonus de Jadra assignatus est per biennium in conventu Jadrensi cum facultate, quod de licentia reverendi provincialis seu prioris sui predicare possit extra provinciam, sine tamen preiudicio alterius provincie seu conventus et fratrum. Rome, 28 aprilis.

1204. Frater Dominicus de Lesina habet licentiam, ut ire possit ad quas-cumque provincias, ubi benivolos invenerit receptores. Rome, 15 iunii. [f. 108v]

1205. Magister Gregorius Ragusinus iterum per patentes habitas potest fieri filius conventus Jadrensis, cum antea renuntiasset filiationi illi, modo media pars filiorum illius conventus consentiat. Romę, prima iulii.

1206. Frater Dominicus de Tragurio per patentes habitas potest visitare limina Petri et accipere pro hoc elemosinas a fratre et ab aliis, iter autem arripere uti commodum sibi visum fuerit, cum socio a suo priore accepto. Rome, prima iulii.

1207. Frater Marinus de Brachia accepit patentes, ne possit molestari de adventu ad Urbem ad reverendum procuratorem. Rome, prima iulii.

1208. Frater Tiburtius de Catharo per patentes est assignatus in conventu Sancti Dominici de Neapoli in studentem theologię cum gratiis et privilegiis ibi consuētis. Romę, 7 augusti.

1209. Magister Gregorius de Ragusio institutus est regens in studio conventus Consentini de Calabria et assignatus in eo conventu cum gratiis dari solitis regentibus aliis in eo studio. Rome, 4 octobris.

1210. Frater Joannes de Morbino habet licentiam per litteras clausas transeundi a provincia Dalmatie ad congregationem Ragusinam. Rome, 5 octobris.

1211. Frater Marcus de Jadera, iuvenis, habet licentiam transeundi ab eadem provincia ad provinciam Utriusque Lombardie. (Eadem die).

1212. Frater Vincentius de Buchia, magister in theologia, fit commissarius ad recipiendum loca pro ordine nostro et ponendum vicarium cum auctoritate solita dari vicariis huiusmodi locorum ordinis. Locum recipere debet servatis servandis de licentia ad hoc agendis. Et hoc faciat cum episcopo Sancte Marie de Porta super illa ecclesia recipienda. Romę, 26 octobris.

1213. Eidem per patentes datur potestas visitandi conventum Jadre nostri ordinis cum auctoritate, quam habent provinciales in conventibus suę provincie, ut omnia faciat ad utilitatem conventus spiritualem et temporalem. (Eadem die).

1214. Frater Anselmus de Brachia Dalmatie provincie est assignatus in conventu Sancti Nicolai de Catharo per triennium et non potest removeri ab

ullo inferiori vicario generali ordinis, nisi mittat in conventu, ubi sit lectio grammaticae idonea sibi. Romę, 4 novembris.

1215. Frater Petrus [...] declaratus est non incurrisse poenam gravioris culpe, quousque id declaratur sententialiter a visitatore conventus Jadre mittendo, nec potest ab aliquo aliquid pati ob hoc ante sententiam prefati visitoris definitivam quoad hoc. Et mandatur priori Jadre, quatenus tractet eum interim sicut alios sui conventus fratres. Et recipiat. Rome, 5 novembris 1534. [f. 109r]

1535

1216. Frater Gregorius de Catharo habuit licentiam transeundi a provincia sua ad provinciam Grecie. Rome, 14 ianuarii 1535.

1217. Frater Christophorus de Jadera habuit licentiam scribendi seu recipiendi in societate Rosarii omnes personas utriusque sexus et instituendi capellas dicti Rosarii, ubi non sunt conventus ordinis. Rome, 26 ianuarii 1535.

1218. Frater Raymundus de Sibenico deputatus est in conventu suo Sibenicensi usquequo aliter disponat de eo visitor illius provincie. Rome, 30 ianuarii 1535.

1219. Frater Georgius Belchanich Jaderinus deputatur in conventu Jaderino. Frater Marinus de Brachia remittitur ad conventum Traguriensem, ubi est assignatus. Frater Petrus de Spalato mittitur ad conventum Spalatensem, ubi est assignatus. Frater Antoninus Spalatensis deputatur in conventu Traguriensi, ubi est filius. Hi venerant Romam sine licentia et ad eos conventus mittantur permansuri ibidem, ut ceteri fratres exercentes officia sacerdotum etc.; et imposui ego penitentiam de adventu ad Urbem, quousque visitor de eis iudicet et disponat. Et nullus alius superior sub pena suspensionis in his eos molestet et recipiantur in conventibus provincie libere etc. Rome, die 26 februarii 1535.

1220. Precipitur priori seu presidenti conventus Jaderini, quod provideat fratri Marino Brachiensi et fratri Petro de Spalato indumenta necessaria ad que pro tempore, quo ibi iidem fuerunt, conventus tenetur infra sex dies sub pena suspensionis ab officio ipso facto incurrenda. Rome, 27 februarii 1535.

1221. Precipitur prioribus seu presidentibus conventuum Spalatensis et Brachiensis, quod legatum 300 ducatorum utrique et singulo conventui derelictum, in totum scilicet ducatorum 600, a domina Justiniana de Brachia in alia non expendant iuxta voluntatem eius domine, quam in edificiis conventus de consilio discretorum conventus, quibus precipitur, ne aliter expendi permittant; priores autem seu presidentes contrafacientes penam absolutionis incurrant. Rome, 27 februarii 1535.

1222. Absolvitur frater Hieronymus de Catharo, prior Sibenicensis, a vicariatu conventus Jadertini precipiturque ei sub pena ab officio prioratus absolutionis ipso facto incurrenda, ut infra triduum a notitia recedat a conventu Jadertino et iter arripiat versus conventum Sibenicensem(m) recto tramite et. Rome, 2 martii 1535. [f. 109v]

1223. Committitur patribus Jadertinis, ut tres illorum eligant vicarium conventus iuxta constitutiones distinctione secunda, capite secundo, qui exerceat auctoritatem sibi a constitutionibus datam huiusmodi vicariis, a nullo inferiore absolvendis usque ad adventum visitoris provincie et aliam eis determinationem. Rome, 2 februarii 1535.

1224. Frater Joannes de Lesina, sacerdos, habuit licentiam eundi ad Sanctum Jacobus in Compostella in societate fratris Petri conversi provincie

Dalmatie. Rome, 14 martii 1535.

1225. Frater Stephanus Dalmatinus mittitur a conventu Sanctorum Joannis et Pauli Venetiarum ad conventum Sibiricensem, ubi est professus, ut ibi sit quousque visitator a me institutus super totam provinciam Dalmatie ad eum conventum venerit et de eo suisque causis determinet. Rome, 15 martii 1535.

1226. Frater Nicolaus Valliarnius instituitur visitator provincie Dalmatie cum auctoritate super capita et membra, etiam provincialem, quam habet vicarius provincie mortuo vel amoto provinciali et in litteris clausis declaratur hoc exercendi etiam ad congregationem Ragusii, etiam super monasteria et provincie et congregationis. Rome, 24 aprilis 1535.

1227. Confirmatis supradictis litteris institui eum vicarium provincie cum auctoritate provincialis, citra tamen eius absolutionem. Factus est etiam vicarius electionis. 26 aprilis.

1228. Frater Antoninus de Bichachio de Dalmatia assignatus est in studentem theologie in conventu Sancti Dominici Panormitani; quod si impediatur ibi esse, assignatur in quocumque studio (ubi) voluntarios invenerit receptores, cum gratiis solitis. Rome, 28 aprilis 1535.

1229. Frater Doimus de Spalatro habet licentia(m), postquam mansit aliquo tempore in provincia Romana, eundi in provinciam Regni. Rome, 6 maii 1535. [f. 110r]

1230. Magister Antonius Pharensis, prior conventus Jaderini, remittitur ad conventum et officium prioratus, sic quod nil immutet in conventu. Et precipitur sibi ne mediate vel immediate, directe vel indirecte conversetur vel loquatur etiam in ecclesia cum quadam muliere, de qua est infamatus, sub pena in constitutionibus distinctio 1^a, caput 18. Precipitur etiam sibi, ut intersit capitulo provinciali proxime celebrando, facturus que sibi ordinaro. Rome, 3 iunii 1535.

1231. Frater Augustinus de Lesina assignatus est in studio Bononiensi iuxta assignationem a suo provinciali sibi factam, quam exequatur cum frater Philippus Ragusinus biennium ibi expleverit a sua receptione, quem ibi assignaveram etc. Rome, 10 iunii 1535.

1232. Frater Dominicus Mediolanensis habuit licentiam transeundi ex provincia Dalmatie et conventu Sancti Marci Pharensis, cuius est filius, ad provinciam Utriusque Lombardię, ita ut infra mensem presentet se reverendo provinciali vel eius vicario Lombardię. Rome, 17 iunii 1535.

1233. Visitatori fratri Nicolao de Valle Arni scribitur, quod velit restituere habitum cuidam juveni, quem exuerat ob inobedientiam, si viderit humilitatem cordis et corporis; item, quod si sibi constiterit fratrem Augustinum de Lesina licentiam habuisse eundi ad moniales bis vel ter a provinciali, non ipsum condemnet ad penas etc. Rome, 14 augusti 1535.

1234. Dantur patentes vicario provincie et vocalibus, quibus: 1^o omnia per visitatorem et acta confirmantur; 2^o ad suam instantiam revocatur; 3^o confirmatur vicarius provincie et capituli frater Augustinus de Corzula et dantur sibi duo priores antiquiores coniudices in fiendis actis capitularibus. (Eadem die).

1235. Scribitur magistris in theologia et prioribus provincie de unione in elligendo; scribitur vicario; inde scribitur etiam magistro Vincentio de Catharo de actis. (Eadem die).

1236. Frater Thomas de Spalatro assignatur in conventu Consentino pro studente formali pro rata provincie Dalmatie. [f. 110v]

1237. Frater Nicolaus de Corzula deputatur in conventu Sancti Dominici de Neapoli et loco vacante ac cum consensu sui provincialis assignatur in predicto conventu in studentem formalem pro rata provincie Dalmatię.

1238. Magister Vincentius de Catharo et frater Dominicus de Brachia, prior Spalatensis, per patentes fiunt convicarii provincie Dalmatie una cum fratre Augustino de Corzolo (!), qui tres, vel eorum maior pars, omnia et singula disponant et tractent in provincia quousque provincialis novus fuerit electus, confirmatus et presens in provincia ab bancum cum scrutatoribus electioni provincialis astabunt, in diffinitorio cum diffinitoribus deffinient ac si scrutatores essent et diffinitores. 2° Annulantur omnia et singula in capitulo Pharri celebrato in die Sancti Martini 1535 tam officiales, quam assignationes ac omnia acta eiusdem, et declarantur fratres omnes in eo ammoti, ad suos conventus pertinere, in quibus erant ante capitulum; et posse reeligi eosdem in diffinitores, quia non fuerunt rite in alio capitulo electi. Precipitur fratribus, ut ad suos conventus, ut prefertur, revertantur. 3° Mandatur vicariis seu superioribus conventuum, ut tempore opportuno ad sociorum electiones procedant. Et dictis vicariis imponitur, ut ipsi tempus et locum eligant capituli celebrandi ad quod priores et socii conveniant, qui et habilitantur ad ius eligendi, si forte quoquo pacto ab ipso iure cecedissent. 4° Mandatur, ut primo fiat provincialis, deinde diffinitores et, ad evitandas superfluas ammotiones, validantur assignationes conversorum, ut assignati censeantur, ubi in dicto capitulo Pharri fuerunt assignati. 5° Committitur dictis vicariis, ut ipsi declarent qui sint vel non sint in conventibus vocibus privati et iudicent qui sint vel qui non sint admittendi. 6° Eisdem committitur confirmatio tam prioris Jadrensis, quam Sibinicensis, qui debeant eligi a fratribus, qui ibi erant ante capitulum; et si qui usque modo in dictis conventibus forent a quocumque confirmati, declarantur absoluti, utpote non rite electi. Ultima decembris, Rome.

1239. Fratri Marino de Brachia fiunt patentes declaratorie, quod vocem habeat activam et passivam, non obstante quod iam a suo priore fuerit privatus, quoniam postmodum per fratrem Nicolaum Vallarnum, visitatorem, fuerat restitutus. Ultima decembris, Rome. [f. 111r]

1240. Frater Valerius et frater Nicolaus de Tragurio et frater Tripho de Jadra per patentes restituuntur vocibus etc., si tamen videbitur tribus illis vicariis in precedenti pagina in Dalmatia institutis. Eadem (die) eiusdem (mensis), ibidem.

1241. Frater Georgius de Jadra simili modo ad vocem restituitur per patentes et declaratur habere vocem etc. Eadem, eiusdem, ibidem.

1242. Frater Hieronymus de Brachia et frater Antoninus de Spalato similiter declarantur vocem habere, non obstantibus etc. Eiusdem, ibidem.

1243. Frater Dominicus de Brachia transfertur a filiatione conventus Pharenensis et fit filius conventus Jadertini, petentibus patribus et vocalibus dicti conventus. Eadem, eiusdem, ibidem.

1244. Fratribus Placito de Spalato et Marino de Brachia fiunt litere testimoniales de accessu ad Urbem et ad reverendissimum (magistrum generalem) cum licentia et causa debitis. Et mandatur, ne propter hunc accessu(m) a quocumque vicario reverendissimo inferiore molestari aut puniri in aliquo possint. Eadem, eiusdem, ibidem.

1245. Magistris, prioribus et vocalibus Dalmatinis mandatur et precipitur sub pena gravioris culpe, ne quis ullo modo audeat quemquam praticare circa fiendam provincialis electionem. Et simili pene subiciuntur, qui sciunt

aliquem practicis huiusmodi uti, et infra diem unam naturalem tribus supradictis provincie vicariis non denunciaverint et revelaverint. Eadem, eiusdem, ibidem.

[1536]

1246. Frater Augustinus de Lesina (prius a suis patribus diffinitoribus in capitulo Brachie unanimiter Bononie in studentem assignatus pro rata sue provincie, et de novo in capitulo ultimo Phari celebrato a vicario provincie et diffinitoribus etc.) assignatur per patentes in dicto conventu Bononiensi in studentem theologie declaraturque talem assignationem tunc solum valituram, quando frater Philippus de Spalato vel suum studium ibi expleverit vel a provincia revocatus, vel alia quavis causa ammotus fuerit. 11 ianuarii, Rome. [f. 111r-v]

1247. Magister Vincentius Buchia de Catharo confirmatur per literas patentes in priorem provinciam provincie Dalmatie cum gratiis et facultate consuetis. Et fuerat unanimiter, nemine discrepante, electus in capitulo provinciali celebrato in conventu Sancte Crucis in insula Bua die 7 martii 1536. 4 aprilis, Rome.

1248. Provinciali Dalmatie et vicario Crovacie committitur iudicium et determinatio deffinitiva circa nonnullas pecunias, quas frater Georgius de Jadra ab ipsa provincia Crovatie petit, quod si dicti duo non poterunt istud per se iudicium exequi, eisdem datur facultas instituendi unum vel duos iudices, qui loco sui in premissis determinent quod iustum fuerit et equum. 6 eiusdem, Rome.

1249. Fratri Cherubino de Chersio, congregationis Croatie, conceditur, ut tam in iudicio quam extra coram quibuscumque iudicibus possit cum plena potestate exigere libros et alia bona penes quemcumque retenta olim fratris Antonii magistri, nepotis sui, qui libri seu bona ad dictum Cherubinum de iure spectant. 22 aprilis, Rome.

1250. Eidem fratri Cherubino fiunt patentes et, casu quo infideles adeo infestent conventus et loca sue congregationis Croatie, quod fratres inde compellantur abire, instituitur vicarius in loco Sancte Marie de Veruda cum solita talium vicariorum autoritate; et absolvitur quicumque alius dicti loci vicarius. 20 aprilis, Rome.

1251. Patribus et prioribus congregationis Croatie confirmantur litere olim reverendissimi magistri Francisci de Ferraria, de quibus habetur in registro suo folio (153v), ut possint per aliud octenium sui vicarii generales pro tempore per alios octo annos a vicario precedenti absoluto confirmari etc.; et quod non durent nisi per biennium; et quod octenio completo, vicarii post octenium per illos electi confirmatio a reverendissimo magistro vel eius vicario in sue subiectionis recognitionem habeatur et procuretur per ipsum vicarium electum de novo. Et interim vicarius precedens absolutus vices vicarii in omnibus obtineat, donec ipsa confirmatio, ut supra sit, habita etc. Item validantur confirmationes tam vicarii presentis, quam priorum ab eo confirmatorum et suppletur si qui defectus fuissent in confirmatore ob carentiam autoritatis eo quod tempus octenii sibi a reverendissimo, ut permissum est, magistro Francisco assignatum, transierat, nec tamen dictus modernus vicarius fuerat a reverendissimo presenti vel vicario suo confirmatus eo quod licet scripserint pluries pro huiusmodi habenda confirmatione, litere tamen nunquam fuerunt date et ob id sine confirmatione stando bona fide dictus vicarius non actu confirmatus, prius aliquos confirmaverat etc. Ordinatur quoque, quod pro sua maiori commoditate capitulum suum

inter Pasca resurrectionis et Ascensionem Domini celebrent, non obstantibus etc. Item incorporantur sue congregationi et fiunt ac instituuntur conventus locus Sancte Marie de Gradischio et locus Sancte Marie de Veruda accedente consensu patrum et vicarii. Et imponitur eisdem, ut de premissis quam primum potuerint consensum a reverendissimo patre generali habere studeant et procurent. 26 aprilis, Romę. [ff. 111v—112r]

1252. Frater Paulus Ribicich de Sibinico transfertur a provincia Sancti Dominici ad suam provinciam Dalmatie et assignatur in conventu Sibinicensi cum voce activa et passiva. Eidem conceditur posse secum deferre bona, que penes se habet sibi concessa vel data intuitu persone. Preficitur fabricę extruende in dicto conventu, si de suis bonis voluerit fabricare; si non teneatur suo superiori dicta bona consignare et ea illius iudicio disponere. Item eximitur propter senectutem ab (h)ebdomadaria et a matutinis. 4 eiusdem, Rome.

1538

1253. Frater Seraphinus de Lesina, diaconus, habet licentiam in testamento legandi bona, que ex iure paterno sibi succedant. 25 februarii, Rome. [f. 112v]

Provincia Utriusque Lombardiae

1254. Frater Christophorus de Jadra assignatur in studentem formalem sacre theologie in conventu Sancti Dominici de Neapoli cum gratiis studentium. Florentie, 26 aprilis (1533). [f. 22v]

Provincia Regni

1255. Frater Triphon Dalmata assignatus est in studentem theologie in conventu Sancti Dominici de Neapoli. Rome, 24 maii (1533). [f. 37r]

1256. Frater Triphon Dalmata deputatus est in conventu Sancti Dominici de Neapoli. Rome, 3 iulii (1533).

Congregatio Ragusina

1532

1257. Congregatio Ragusina habuit confirmationem gratiarum concessarum a preteritis magistris ordinis. Bononie, 8 decembris. [f. 168r]

1533

1258. Frater Thomas Cervinus de Ragusio, episcopus electus et confirmatus, habuit licentiam assentiendi predicte episcopatus electioni et gaudendi gratiis et privilegiis ordinis et retinendi secum duos vel tres clericos vel conversos in ministerium suum. Bononie, 8 ianuarii.

1259. Frater Andreas de Ragusio habet licentiam manendi per annum in aliquo conventu Dalmatię, prout provinciali videbitur. Venetiis, 10 februarii.

[1534]

1260. Datur licentia fratri Stephano Aligreti de Ragusio eundi ad terras christianorum, que Turco subiciuntur, propter salutem christianorum qui ibi sunt, ne sint sine auxilio spirituali, cum licentia tamen reverendi vicarii generalis; cum licentia etiam quod, si ibi non inveniant sacerdotes ordinis, possit recipere quecumque sacramenta a quolibet sacerdote seculari vel regulari et eadem sacramenta aliis quibuscumque cum licentia ordinarii administrare. Rome, 5 aprilis.

1261. Data est licentia fratri Lucę Maxich de Trofea eundi ad visitandum consanguineos suos et patriam que, licet christiana, posita est inter Turcos, et ibi manendi et negotia explendi, si opus fuerit, cum licentia tamen reverendi vicarii vel in eius absentia sui prioris; et dato sibi socio cum potestate etiam quod possit ibi predicare et confessiones audire, si tamen ad hoc in conventu expositus sit et cum licentia parrochianorum vel prelatorum; et hoc quatenus ex ordine pendet. Rome, 4 maii.

1262. Misse sunt ordinationes congregationis Ragusine infrascripti tenoris: scilicet preceptum est presidentibus, quod nullo modo permittant vesci carnibus in refectorio, sed in infirmaria tantum. Item, quod nullus habeat duas cellas in dormitorio, nec aliquis per conventum portet mantellum de panno, nisi infirmus et hoc de licentia; item, quod nullus in refectorio utatur patientiis lineis, dum commeditur; et qui habent cellas in dormitorio, non habeant in infirmaria; et quod provideatur iuvenibus ut studeant; et quod in diebus festivis legatur Sacra Scriptura in conventibus; et quod sacerdotes iuvenes habeant lectionem casuum conscientie. Rome, 4 maii.

1263. Confirmata est assignatio fratris Philippi de Ragusio in studentem theologie in conventu Bononiensi supra posita, cum clausula, quod nullus me inferior, si sufficiens fuerit, eum ante tempus in constitutione positum, removere possit. Rome, 4 maii. [f. 168v]

1264. Frater Nicolaus de Valle Arni, provincie Romane, institutus est visitator congregationis Ragusine tam super capita quam super membra, cum autoritate quam habet vicarius provincie mortuo vel amoto provinciali. Rome, 30 decembris 1534.

1265. Idem frater Nicolaus de Valle Arni institutus est visitator provincie Dalmatie cum autoritate supradicta. Rome, 30 decembris 1534.

[1535]

1266. Fratri Basilio de Ragusio concessa est licentia manendi in castro Pischiae ad instantiam domini Ferdinandi de Sangro, Neapolitani, ad erudendum illos homines, qui vocantur Morlachi nuper a Turcis fugitivi; et hoc per biennium cum dimidio anno. Rome, 6 februarii 1535.

1267. Fratri Donato de Ragusio,²⁵⁷ iuveni, data est licentia a Romana provincia in quam ex Ragusio venit, quia in ea debilitatem corporis patitur, eundi ad provinciam Regni; daturque licentia provinciali Regni, ad quem remittitur, eum acceptandi rogaturque, ut assignet eum in conventu bono, ubi sit lectio sibi conveniens. Rome, 26 aprilis 1535.

1268. Frater Philippus de Ragusio suprascriptus revocatur a studio Bononiensi declaraturque, quod huiusmodi sua inde revocatio intelligatur postquam per biennium steterit Bononie assignatus in studentem. 8 novembris, Rome.

1269. Frater Michael de Ragusio assignatur per patentes Bononie in studentem pro rata provincie Dalmatie declaraturque ibidem tunc solum assignatus, postquam frater Philippus suprascriptus a tempore sue assignationis per biennium Bononie manserit et fuerit a suis patribus revocatus ad partes. 8 eiusdem, ibidem.

1270. Fratri Ambrosio de Ragusio Araneo datur per patentes licentia eundi ad Sanctum Jacobum in Compostella, sui vicarii generalis accedente consensu. 8 eiusdem, ibidem.

²⁵⁷ Vjerojatno Donat Zlatarić (Orificus) o kojemu v. S. Cerva, *Iconotheca*, str. 107.

[1537]

1271. Fratri Baptistę de Ragusiis concessa est licentia posse ex provincia Lombardie cum licentia eius provincialis proficisci in patriam suam denique non posse impediri ab eius superioribus, ut revertetur in Lombardie provinciam. 3 aprilis, Romę. [f. 169r]

1272. Fratri Laurentio de Ragusiis (conceditur licentia) eundi in Utriusque Lombardie provinciam et potest in quolibet conventu per dimidium anni vel per unum manserit; possit huiusmodi incumbere et si in suam iret provinciam, non possit impediri a prelatiis eius provincie, quod possit in dicta provincia Lombardie (manere ?). 3 aprilis, Rome.

1273. Revocatur modus per cedulas vicarium eligendi et ordinatur, quod in quacumque electione debeant per scrutinium vel secundum constitutiones patres provincie Ragusine procedere.

1274. Item revocantur omnes gratie concesse a predecessoribus, etiam a reverendissimo generali retinendi penes se pecunias.

Provincia Hungariae

1275. Frater Johannes de Gara provincie Hungarie habuit licentiam per patentes manendi extra ordinem cum habito ordinis et predicandi audiendique confessiones de consensu tum dyoitsani (!) et confitendi peccata sua sacerdoti nostri ordinis vel seculari necnon recipiendi aliquem secularem ad habitum tertii ordinis Sancti Dominici. Rome, 2 novembris 1532. [f. 58r]

1276. Frater Johannes de Sclavonia habet licentiam transeundi ad provinciam Lombardie reformatam. Bononie, 19 februarii 1533.

1277. Frater Petrus de Haimas et frater Stephanus de Pos(e)gavar habent licentiam tenendi pecuniam usque ad summam 7 ducatorum propter arripiendam fugam ab Turcis. Rome, 19 iunii (1533).

Augustinus Recuperati (1538-1541)

Provincia Dalmatiae

1538

1278. Datur licentia fratri Alberto de Corzula denuo condendi testamentum ac revocandi, factum ante professionem, cum auctoritate disponendi de bonis ad se pertinentibus, et presertim de bonis consanguineorum suorum ac patris sui. Romae, 3 octobris. [25, f. 363r]

1539

1279. Data est licentia fratri Hieronymo de Catharo, priori Corzulae, quatenus possit dispensare nonnullas pecunias pauperibus, quas eidem genitrix sua donavit antequam ex humanis decederet, et etiam partem aliquam earum in usus necessitatum suarum convertere et sibi applicare, de consensu tamen reverendi sui provincialis etc. Romae, 15 aprilis.

1280. Frater Benedictus [...] habuit licentiam eundi in Dalmatiam et manendi in suo conventu nativo, quoad steterit ibi et negotia expedierit. Romae, 3 maii.

1281. Datur licentia fratri Hieronymo de Spalatro, quod promoveatur ad sacerdotium 25 (anno completo). Romę, 22 maii. [f. 363v]

1282. Frater Hieronymus de Spalatro assignatur in conventu Sancti Dominici de Neapoli in studentem vacante primo loco, intelligitur tamen nunc esse assignatus. Rome, 30 maii.

1283. Frater Stephanus, conversus, de Brachia transfertur ad conventum Sancti Marci de Pharo, de consensu tamen provincialis et maioris partis filiorum ipsius conventus, assignaturque in eodem conventu pro scopulo Sancti Clementis. Romę, 2 iunii.

1284. Magister Dominicus de Catharo et magister Antonius de Lesina instituuntur commissarii ad videndum et examinandum ratiocinia et libros computorum sororis Sancti Demetrii de Jadra, et maxime sororis Catherine Petrice, priorisse preteriti (monasterii). Romę, 3 iunii. [f. 364r]

1285. Priori seu presidenti conventus Sancti Dominici de Jadra precipitur formaliter et sub pena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, si contrafecerit ut debeat solvisse ducatos sex fratri Augustino de Lesina pro subsidio studii sui etc. Romę, 3 iunii.

1286. Frater Augustinus de Lesina instituitur generalis predicator in sua provincia cum omnibus gratiis et exemptionibus dari solitis huiusmodi generalibus predicatoribus. Romę, 6 iunii.

1287. Frater Albertus de Catharo²⁵⁸ assignatur in studentem Bononiae, vacante tamen loco alterius illorum duorum studentium, qui sunt nunc Bononiae assignati, de consensu tamen provincialis et maioris partis capituli et diffinitorum provinciae Dalmatiae. Rome, 4 iunii. [f. 364v]

1288. Priori seu presidenti conventus Corzulensis precipitur formaliter et sub pena absolutionis ab officio, quod infra octo dies teneat satisfecisse studentibus secundum ordinem provincię. Romę, 7 iunii.

1289. Frater Petrus de Spalatro revocatur a provincia Sancti Dominici, cuius se fecerat filium, et transfertur ad provinciam suam Dalmatie. 2 novembris. [f. 365r]

1540

1290. Frater Thomas de Spalatro fuit deputatus Padue. 8 ianuarii.

1291. Frater Thomas de Spalatro assignatur in magistrum studentium in conventu Farentino provincie Sancti Thome. 28 ianuarii.

1292. Fratri Marco de Jadra, iuveni, facte sunt patentes littere, ut possit testari, accedente consensu reverendi prioris provincialis, qui habeat videre et iudicare si equitati et iustitiae sit consonum, et sic assensum suum prebere aut negare, aut impedire etc. 13 martii.

1293. Fratri Thome et fratri Hieronymo de Spalatro, provinciae Dalmatiae, factae sunt litterae patentes, ut possint ad patriam suam se transferre pro legitimis expeditionibus, ideo ut valeant in casu occurrenti in aliquo conventu morari. 13 aprilis.

1294. Fuit confirmatus in provincialem Dalmatie frater Dominicus (de) Cataro, magister, cum autoritate solita dari etc. 27 iunii 1540. [f. 365v]

1295. Fratri Jordano de Catharo datur auctoritas mutandi filiationem suam a conventu suo de Catharo ad conventum Soncinensem, provinciae

²⁵⁸ Albert Gliiričić: *D. Farlati, Illyricum sacrum*, IV, str. 113; C. Eubel, *Hierarchia catholica*, III, 328; A. Ciccarelli, *Opuscoli riguardanti la storia degli uomini illustri di Spalato*, str. 22—25; G. Gelcich, *Memorie storiche sulle Bocche di Cattaro*, str. 200—202; Pallavicini, *Istoria del Concilio di Trento*, XIV, Venezia 1803, str. 112; S. Gliubich, *Dizionario biografico*, str. 125—126; H. Jedin, *Il concilio di Trento*, III, Brescia, Morcelliana, 1937, str. 119 s.; A. Walz, *I domenicani al concilio di Trento*, str. 99, 185, 235, 278, 306 s., 324, 329 s., 332, 334 ss., 350 s., 359, 369, 425, 427; I. Tylšer, *De episcoporum Croatiae influxu in formationem Concilii Tridentini decretorum praesertim quoad residentiam*, Romae, 1959, str. IX, 15, 22, 24, 27, 56.

Utriusque Lombardie, adveniente consensu reverendi prioris (provincialis) dictae provinciae et maioris partis filiorum dicti conventus. 5 novembris.

Congregatio Ragusina

1538

1296. Censetur quod prelati congregationis Ragusinę reeligii possunt postquam per unum annum vacaverint ex quo id per triginta annos vel circa servatum est; et quod hec consuetudo optime interpretatur breve Julii pape. Item, præcipitur prælatis sub pœna absolutionis ab officiis, quod pecunie ad congregationem vel conventus pertinentes et deposite, non possint a deposito extrahi sine consilio et assensu maioris partis patrum congregationis, quorum etiam consilio expendantur; et quod duo patres deputentur, quorum neuter sit prior unusque habeat pecunias extractas a deposito, alter vero librum, in quo introitus et exitus scribantur; et quod nihil expendatur, nisi prius in libro scribatur; et quod reddant rationem patribus ad hoc deputatis tempore suo; item, quod bona fratris mortui non accipiantur ab aliquo prelato, nisi prius facto inventario coram patribus et eorum consilio de eis disponatur. Placentię, 22 aprilis. [f. 514r]

1297. Conceditur fratri Thimotheo²⁵⁹ et fratri Raphaeli,²⁶⁰ diaconis, facultatem (!) se transferendi in provinciam Utriusque Lombardię causa studii. Placentię, 22 aprilis. [f. 514v]

1298. Fratri Baptistae Ragusino data est licentia eundi Ragusium et ibi manendi quantum opus fuerit et quod possit ad provinciam Lombardie redire etc. Romę, 10 novembris.

1299. Fratri Thome de Ragusio data est licentia veniendi ad provincialem Lombardie vel ad aliam provinciam, ubi sit studium, gratia incumbendi litteris. Et non potest impediri ab aliquo inferiore reverendo vicario ordinis. Romę, ultima novembris.

1539

1300. Frater Lucas Maxich de Tropsea habet licentiam eundi ad patriam visitandi gratia suos consanguineos et, quantum ex ordinis auctoritate dependet, habet licentiam ut possit predicare et confessiones audire et ministrare sacramentum eucharistie et, expletis negotiis, tenetur redire ad suam congregationem, non obstantibus quibuscumque in contrarium. Rome, 9 februarii. [f. 515r]

1301. Fratri Donato de Ragusio conceditur, quatenus possit ire Ragusium recuperandi gratia sanitatem; qua recuperata, in Italiam remigrare queat proficiendi gratia cursu sui studii. Rome, 16 februarii.

1302. Frater Albertus de Ragusio propter senectutem eximitur ab onere et gravamine chori tum de nocte quam de die; et comendatur reverendo vicario etc. Romę, 8 marcii.

1303. Fratri Paulo de Ragusio²⁶¹ data fuit licentia veniendi in Italiam ad videndum germanum suum fratrem Michaelem, propter quasdam causas rationabiles et, expletis negotiis suis, mox tenetur redire ad conventum assignationis suae. Romę, 4 aprilis. [f. 515v]

²⁵⁹ Timotheus Paschalis de Ragusio: S. Cerva, *Iconotheca*, str. 211—213.

²⁶⁰ O njemu v.: HAD, *Distributio testamentorum*, 30, f. 208r.

²⁶¹ Paulus Cicerus de Ragusio: S. Cerva, *Iconotheca*, str. 192—193; J. Quetif—J. Echart, *Scriptores Ordinis Praedicatorum*, II, str. 259; H. Folnesics, *Die illuminierten Handschriften in Dalmatien*. Tiskano u: F. Wickhoff, *Beschreibendes Verzeichnis der illuminierten Handschriften Oesterreichs*, VI, Leipzig 1917, str. 59; HAD, *Catalogo delle famiglie cittadine di Ragusa*, f. 183r; *Distributio testamentorum*, 32, f. 24v; *Diversa Notariae* 104, f. 18r.

1304. Frater Donatus de Ragusio assignatur studens in conventu Bononiensi cum gratiis solitis. 4 iunii.

1305. Frater Valentinus de Ragusio²⁶² habet licentiam eundi ad provinciam Lombardię. Eodem modo data est licentia fratri Joseph, converso, ut, peracta sua professione, in provinciam Lombardię ire possit. 4 iunii. [f. 516r]

1306. Confirmata fuerunt privilegia congregationis Ragusine.

1307. Fratri Thome Ragusino data est licentia, quatenus se transferrat ad provinciam Lombardię studendi gratia. 8 (iunii).

Provincia Utriusque Lombardię

1308. Frater Thomas de Bononia, prior Sancti Dominici de Venetiis, institutus fuit commissarius ad videndum et citandum et iudicandum usque ad sententiam diffinitivam inclusive, ad quos pertinere debeant bona fratris Sixti de Spalato defuncto Verude, cum precepto, ut acceptet et exequatur etc. Romae, 19 decembris (1538). [f. 55v]

Provincia Romana

1309. Conceditur fratri Stephano de Lesino Dalmatię facultas eundi ad suam provinciam ex provincia Romana, in qua est assignatus ad negociandum quedam negocia et quod revertatur. Venetiis, 4 aprilis (1538). [f. 100r]

1310. Fratri Jacobo de Scibenico data est facultas disponendi de rebus suis et bonis iure hereditario quomodolibet sibi obvenientibus, de consensu tamen maioris partis vocalium et absque preiudicio conventus sui nativi. 28 iunii (1439). [f. 102v]

Provincia Terrę Sanctę

1311. Frater Franciscus de Cipro absolvitur ab officio vicariatus provincię Terrę Sanctę, cuius vicarius institutus fuit frater Augustinus de Lesina, provincię Dalmatię, cum omni auctoritate quam habent provinciales existentes in suis provinciis. Item, habet auctoritatem secum ducendi sex fratres, qui ipso facto habeant vocem activam et passivam in ipsa provincia et revertentes ad suam provinciam ad conventus illos pertinent, ex quibus assumpti fuere. Item, habet auctoritatem cum vocalibus eligendi diffinitorem pro capitulo generali. Romae, 6 iunii (1539). [f. 353r-v]

Vicariatus Sancti Petri Martyris

1312. Magistro Sixto de Scibenico, priori conventus Sancti Dominici de Genua, imponitur et precipitur in virtute Spiritus Sancti et sanctę obedientię, quatenus capere et detinere debeat in carceribus sub custodia diligenti fratrem Sebastianum de Chio, utendo etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; quibuscumque non obstantibus in contrarium etc. Romae, 4 ianuarii 1539. [f. 536r]

Vicariatus Sancti Dominici

1313. Frater Marinus, conversus, de Ragusio fuit confirmatus filius conventus Sanctorum Johannis et Pauli de Venetiis. 6 iunii (1539). [f. 551r]

1314. Fratri Ambrosio de Ragusio, petendi, facta fuit assignatio ex loco Bilatis ad conventum Sancti Petri Martiris de Asculo, provincię Sancti Dominici. 13 aprilis 1540. [f. 551v]

²⁶² Vjerojatno Valentinus Sopovich de Ragusio o kojemu v.: HAD, Distributio testamentorum, 23, f. 73r; 26, ff. 52v, 54v, 65r, 78v, 96r, 128r, 137r, 143v, 159v, 178r, 180v, 232v, 239v, 240r.

1315. Confirmatur translatio iam facta fratris Pauli de Sibenicho a provincia Dalmatiae ad provinciam Sancti Dominici; et etiam confirmatus est filius conventus Sanctorum Johannis et Pauli, si per maiorem partem filiorum predicti conventus fuerit electus. Romae, 6 iunii 1539. [f. 553r]

1316. Priori Anconitano sub pena absolutionis ab officio precipitur, quatinus in termino duorum mensium satisfacisse debeat fratri Paulo de Sibenico pro tot accomodatis conventui, dum esset prior. 6 iunii 1539. [f. 553v]

Angelus de Ghiacceto, vic. gen. (1541-1542)

Provincia Dalmatiae

1541

1317. Mandavimus sub praecepto formali reverendo provinciali fratri Dominico de Catharo, quod de residuis decem scutorum non solutis fratri Nicolao de Corzula pro eius studentatu iuxta reverendissimi generalis magistri Johannis de Fenertio praeceptum, eius creditoribus satisfaciatur; atque praecipimus, quod provinciales pro tempore existentes solvant annuatim quinque scuta conventui ubi fuerit assignatus pro indumentorum eius sufficientiam; quod si ipsi non solvant, solve tamen faciant a conventu, cui portionem haud mediocrem paterne hereditatis reliquit. Romae, die prima februarii.

[26, f. 156r]

1318. Institutus est baccalaureus ad legendum *Sententias* pro forma et gradu magisterii in conventu Tarentino videlicet frater Thomas de Spalatro, petitus a reverendo priore et toto studio, cum omnibus dignitatibus, exemptionibus etc., ita tamen, quod per examen reverendorum patrum magistri Viti de Mathera et magistri Augustini de Serra sufficiens iudicetur, nec valeat talis institutio nisi approbetur a reverendis diffinitoribus provincie Dalmatiae. Die 27 maii 1541, Rome.

1319. Iniunctum est reverendis patribus diffinitoribus proxime futuri capituli provincialis provincie Dalmatiae et praeceptum sub pena excommunicationis late sententiae etc., ut de novo assumant et usque ad sententiam diffinitivam prosequantur causam fratris Marini de Brachia. Die 28 maii, Rome.

1320. Frater Hieronymus de Spalatro assignatus est adhuc per tres annos in studio Sancti Dominici de Neapoli pro rata provincie Dalmatiae, non obstante quod iam alios tres annos in eodem studio fecerit. Die 27 augusti, Rome.

1321. Frater Thomas de Lesina assignatus est pro studente formali theologiae in studio et conventu Bononiensi, ita dumtaxat quod locus provincie Dalmatiae, pro cuius rata assignetur, vacet et adveniat etiam assignatio sui provincialis quasi huius confirmatio. Die ultima octobris, Pistorie. [f. 156v]

1322. Fratri Lucae de Brachia et fratri Nicholao de Craina, conversis, data est licentia transferrendi filiationem a propriis conventibus ad conventum Spalatensem. 25 novembris, Perusii.

Congregatio Ragusina

[1541]

1323. Institutus est regens studii in conventu Sancti Dominici de Campo Regio civitatis Senarum reverendus magister Gregorius de Ragusia. Die 29 maii, 1541. [f. 246r]

1324. Fratri Bernardo de Ragusia praeceptum est sub pena gravioris cul-pae, ut infra mensem solvisse aut quod solvantur ordinasse debeat ducatos

quatuor, que debet fratri Thomae Stella, magistro et predicatori. Die 9 iulii, Romae.

Provincia Utriusque Lombardiae

1325. Data est facultas die 9 eiusdem mensis (februarii 1541) per literas reverendo provinciali et in eius absentia priori Bononiensi, de consilio tamen et assensu patrum conventus iterum assignandi atque in studentium caetu restituendi fratrem Donatum de Ragusio et fratrem Albertum de Catharo. Rome. [f. 29r]

1326. Frater Sixtus de Jadra, olim translatus et affiliatus conventus Sancti Dominici Ferrariensis, et impeditus a tali consequtione eidem conventui, de novo, si opus esset, affiliatur; et mandatur venerabili presidenti eiusdem conventus, ut eum in libro, ubi filii conventus scribi solent et unde ille abscissus fuerat, scribi faciat. 8 martii (1541), Neapoli. [f. 35v]

Franciscus Romaeus (1545-1550)

1545

1327. Reverendus magister Eustachius de Lesina habet commissionem, ut quantocius possit et debeat recognoscere assignationem fratris Dominici Urmanei de Spalatro extra conventum Spalatensem, cum privatione lectoratus officii atque condemnationem sibi factam in penam gravioris culpe a reverendo provinciali; et nisi causa criminalis seu enormis extiterit aut quomodolibet, possit illum a pena gravioris culpe absolvere ac in conventu predicto cum officio lectoratus restituere, prout sibi visum fuerit etc. Per patentes. Romae, 17 aprilis. [28, f. 149r]

1328. Fratri Paulo de Sibinico datur licentia acceptandi et exequendi procuram factam in ipsum a quadam pauperula muliere vidua Magdalena Sibenicensi ad exigendum omnia bona Venetiis et alibi dictae Magdalенаe spectantia et precipue ususfructus beneficiorum quondam domini Johannis Primarii, archipresbyteri Spalatensis, ipsius Magdalene filii, cum facultate comparendi coram quocumque iudice etc. Per patentes. Romae, 17 aprilis.

1329. Fratri Marino de Brachia concessum est, quod sit liber a qualibet pena privativa et positiva quomodocumque incursa nec non assignatus est in conventu Sibenicensi. Tridenti, 27 maii.

1330. Frater Paulus de Spalatro assignatus est in conventu Sancti Dominici de Traù cum omnibus gratiis ordinis etc. Tridenti, 29 iunii.

1331. Frater Jordanis de Catharo assignatus est in studentem formalem Neapoli pro rata provinciae, accedente consensu reverendi provincialis ipsius. Tridenti, 26 augusti.

1332. Fratri Vincentio de Lesina datur facultas, ut possit testari, presertim quia numquam fecit testamentum etc. Aliis non obstantibus etc. Per patentes. Romae, 28 novembris.

1546

1333. Frater Philippus de Spalatro habuit patentes, in quibus acceptatur in religione et provincia Dalmatiae atque assignatur in suo originali conventu Sanctae Crucis de Tragurio habitatus ad omnes et singulas gratias ordinis. Insuper committitur reverendo provinciali atque magistro Gregorio de Ragusio, ut habeant videre litteras apostolicas vigore quarum moratus est extra religionem per tres annos vel plus, atque decernere num fuerit privatus

habitu propter ordinationem provinciae et num tempus illud, quo extra religionem stetit, sit respectu loci ab eo auferendus et ratum habens totum quod per ipsos tacitum fuerit. Romae, 11 ianuarii. [f. 149v]

1334. Concessum est fratri Georgio de Sibenico, converso, ut possit ex pecuniis sibi obvenientibus sua industria vel aliunde ex elemosinis magistri subvenire. Romae, 12 martii.

1335. Magistro Dominico Bucchiae per litteras apertas praecipitur in virtute Spiritus Sancti et sanctae obedientiae et sub pena gravioris culpa, quatenus infra dies 15 a litterarum notitia debeat solvisse magistro Antonio de Lesina scuta decem auri pro expensis factis per eum eundo Romam et redeundo alias, ammovendo suspensionem alias per ipsum factam super tali solutione. Romae, 18 iunii.

1336. Fratri Hieronimo de Catharo conceditur per patentes, ut per annum possit a prelatura vacare; item utendi bonis mobilibus cuiuscumque sint. Romae, 20 iunii.

1337. Sororibus Sancti Demetrii de Jadra conceditur, ut tempore pestis possint adire quamdam insulam illarum, sicut predecessores sui alias concesserunt. Romae, 21 iunii. [f. 150r]

1338. Fratri Paulo Sibenicensi per patentes confirmate sunt gratie concessae a bone memorie reverendissimo magistro generali de Casaus. Romae, 22 iunii.

1339. Reverendus pater provincialis habuit acta capituli pro sua provincia et alia pro aliquo. Romae, 22 iunii.

1340. Frater Marcus Allegretus de Spalatro absolvitur ab omni pena incurta propterea, quia recessit sine licentia extra provinciam et fuit inter conventuales. Item, commendatur provinciali, ut, si sibi visum fuerit, assignet in conventu Spalatensi. Romae 24, iunii.

1341. Magister Gregorius de Ragusio absolvitur ab omni pena sibi data a vicario conventus Jadrensis. Item accepit licentiam retinendi apud se aliquas pecunias ac expendendi eas pro suis necessitatibus iuxta dictamen suae conscientiae. Romae, 2 iulii.

1342. Predictus magister Gregorius transfertur a provincia ad suam congregationem de conventu Jadrensi ad conventum suum originalem Sanctae Crucis ubi assignatur cum omnibus gratiis et commendatur omnibus patribus dictae congregationis; per patentes. Romae, 3 iulii.

1343. Frater Petrus de Spalato per patentes assignatur in suo conventu nativo Spalatensi pro negociis sanctissimi papae, ita quod a nemine possit impediri valeatque accipere unum socium petita licentia, licet non obtenta a presidentibus, ac exire conventum; minime teneatur alicui negocia predicta revelare. Item, possit apud se detinere pecunias atque expendere ad suum libitum, ita ut nemini rationem reddere teneatur, dummodo pro dicto negotio serviant et non aliter. Romae, 3 iulii.

1344. Frater Petrus prenominatus absolvitur ab omnibus penis, presertim propter accessum ad Urbem et ab omnibus aliis, si quae sint, ac restituitur gratiis ordinis. Item, precepto simplici mandatur provinciali, ut restituat predicto nomine provincie scuta decem auri in auro, que dictus frater Petrus exposuit ac dedit olim provinciali pro commodo provincie. Per patentes. Romae, 4 iulii. [f. 150v]

1345. Frater Vincentius Spalatensis mittitur ad provincialem absolutus a quacumque sententia et hortatur eum assignari in suo nativo conventu Spalatensi ob fratrem Petrum, consobrinum suum; nisi alia obstentent fra-

tres conventus Spalatensis, restituuntur ad gratias ordinis, presertim ad vocem tam activam quam passivam, ita quod infra eodemet conventu habeant vocem in futura electione facienda de priore, non obstante quadam ordinatione qui eligunt unum, quod alias fuit apud conventuales, sint privati voce activa et passiva. Romae, 4 iulii.

1346. Frater Valerius de Tragurio per patentes remittitur ad provinciam suam et ad suum originalem conventum Sancte Crucis de Tragurio ubi assignatur cum omnibus gratiis et presertim cum voce activa et passiva, non obstante quacumque ordinatione in contrarium etc. Item non vult, quod possit a dicto conventu, nisi propter grave scandalum, absque scitu suo amoveri. Romae, 10 iulii.

1347. Frater Paulus de Tragurio removetur a quacumque assignatione seu deputatione et assignatur in suo originali conventu Sancti Dominici de Tragurio cum omnibus gratiis, ubi vult ipse manere, ibi usque ad suum adventum in provinciam, ita quod quamdiu religiose vixerit, non possit a tali assignatione perturbari. Item absolvitur a penitentia incurta tam propter accessum, quam propter recessum sine licentia et qui non teneatur statim adire (ad) reverendum provincialem, nisi cum sua commoditate, sed expectet illum in visitatione. Romae, 10 iulii.

1348. Frater Nicolaus de Catharo restituitur ad vocem tam activam quam passivam, qua privatus fuerat, et ad omnes gratias ordinis. Ragusii, 11 septembris. [f. 151r]

1349. Frater Dominicus della Brazza per patentes habet facultatem erigendi societatem de Rosario et scribendi utriusque sexus personas in ea, citra tamen cupiditatem auri et questus. Corzulae, 16 septembris.

1350. Frater Thomas de Lesina Miglenisich habuit licentiam petendi Romam devotionis gratia in futuro proximo iubileo 1550; et quod non possit impediri ab aliquo inferiori reverendissimo. Lesinae, 17 septembris.

1351. Priori pro tempore et patribus conventus Spalatensis Sancti Dominici in meritum obedientiae mandatur, ut non solum impediant, sed habeant adiuvare fratrem Doymum Spalatensem de Almissia ad fabricandum seu acquirendum unam domum in castro suo Almissiae, quo possint fratres dicti conventus ac conventus Sanctae Crucis et Sancti Dominici de Tragurio habitare tempore questus aut alio et non discurrere per domos secularium. Non autem quod ordinarie possint fratres sive frater habitare sub titulo vicariatus seu conventu, nec temptent id efficere. Per patentes. Spalati, 18 septembris.

1352. Frater Dominicus Urmanus Spalatensis electus confirmatur in priorem conventus prenominati Spalatensis cum auctoritate dari solita prioribus in ordine tam in spiritualibus quam in temporalibus et precepto formali, ut infra horam acceptet; et fratribus ut obediant. Spalati, 18 septembris.

1553. Frater Marinus della Brazza absolvitur ab omni pena etiam gravioris culpe et restituitur ad vocem tam activam quam passivam et ad omnes gratias ordinis, excepto quod non possit ire in Italiam absque speciali licentia in scriptis reverendi provincialis pro tempore. In conventu Sanctae Crucis de Bua huius provinciae apud Tragurium, 19 septembris.

1354. Fratribus omnibus huius provinciae habentibus reliquias quasdam olim furatas ex una cruce argentea cum paramento serico viridi a conventu Sanctae Crucis aut scientibus sub pena excommunicationis latae sententiae una pro trina monitione premissa etc., quam contrafacientes incurrant, et sub formali precepto mandatur, ut infra 8 dies a notitia praesentium teneantur habentes restituere ipsi conventui Sanctae Crucis et scientes reverendo

provinciali significare, vult dictas patentes publicari per provinciam. Sybinici, 20 septembris.

1355. Per litteras apertas decernit et vult reverendissimus, quod si frater Johannes de Spalato, novicius, tempore suae professionis ab examinadoribus et vocalibus conventus Sybinici, ubi degit, fuerit ad professionem acceptus, quod censeatur et sit filius conventus Spalatensis, bonis respectibus. Sybinici, 20 septembris. [f. 151r-v]

1356. Frater Thomas de Spalato, tunc prior conventus Sybinicensis, per patentes decernitur tam in ista provincia, quam in toto ordine bacchalaris iuxta acta capituli generalis, cui vult sibi locum deberi cum aliis exceptionibus approbaturque lectura eius unius anni in universitate Tarentina provinciae Sancti Thomae, assignaturque completo officio dicti prioratus in conventu Spalatensi pro tribus annis ad legendum *Sententias* pro gradu et fora magisterii inclusive, cum omnibus gratiis, loco, moneaturque provincialis ne hunc temporis alium assignet lectorem ibi, sed potius habeat de discipulis providere. Jadrae, 22 septembris.

1357. Frater Marianus de Jadra absolvitur ab omni pena usque ad hanc horam sibi quomodocumque debita et restituitur ad gratias ordinis, presertim ad vocem tam activam quam passivam. Jadrae, 23 septembris.

1358. Per patentes declaratum fuit a reverendissimo per sententiam et iudicialiter reverendum provincialem iuste potuisse incarcerasse fratrem Paulum de Tragurio, propterea quia recesserat sine licentia et ibat ad reverendissimum, iuxta acta capituli generalis. Absolvitur tamen dictus frater Paulus a carcere et ab omni alia pena assignaturque Tragurii et restituitur ad omnes gratias ordinis. Jadrae, 23 septembris.

1359. Sororibus monasterii Sancti Demetrii Jadrensis in meritum obedientiae mandatur, ut in omnibus obediunt reverendo provinciali, que ipse eis ordinarit. Contrafacientes aut recurrentes ad favorem secularium privent velo nigro per unum annum; item chorum et refectorium frequententur ubi non manducantur carnes feria 4. et aliis diebus prohibitis ab Ecclesia; item lucrum cuiuslibet sororis, licet sit suum, tamen non retinebunt illud apud se, sed in comuni deposito et cum licentia expendatur; item fenestre habitacionis sint cum vitro aut alio panno, ita quod moniales non videant nec videri possint a secularibus; item balline stent in communi loco, non autem in claustris, cum signo particulari et unaqueque fructum suarum accipiat; item districtissime inhibet ne aliqui audeant sine licentia priorissae et cum ascultatricibus presentibus. Venetiis, 1 octobris.

1360. Frater Innocentius de Pago, frater Paulus de Jadra,^{262a} frater Vincentius et frater Eustachius de Lesina et quilibet eorum habet licentiam recedendi a provincia et intrandi illam Lombardiae et commendatur provinciali Lombardiae. Venetiis, 2 octobris.

1361. Frater Paulus de Lesina bonis de causis absolvitur a prioratu Tragurii. Venetiis, 2 octobris.

1362. Frater Franciscus Casotus de Lesina absolvitur a prioratu Lesinae simili de causa. Venetiis, 2 octobris.

1363. Frater Triphonus conventus de Catharo habuit licentiam eundi ad Sanctum Jacobum de Gallitia in Compostellam, completo tamen officio et tempore provincialatus presentis provincialis fratris Hieronimi Bucchiae. Venetiis, 2 octobris. [f. 152r]

^{262a} C. Eubel, *Hierarchia catholica*, III, str. 313.

1364. Nonnullae ordinationes factae sunt, quarum copia extat in principio huius registri seorsum sub cooperta. Datum die prima novembris.

1365. Fratri Antonio de Pago conceditur facultas eundi ad capitulum provinciale Romanae provinciae anni 1548 et intrandi ipsam, commendaturque reverendo provinciali et diffinitoribus. Venetiis, 3 novembris.

1366. Frater Martialis de Catharo per patentes efficitur confessor monasterii Sancti Demetrii de Jadra cum auctoritate dari solita huiusmodi confessoribus et, in quantum opus est, cum precepto formali, ut acceptet et exequatur ac versus Jadram quantocius se conferat, ubi assignatur cum omnibus gratiis; et removetur autem imprimis de quocumque conventu et loco. Venetiis, 4 novembris.

1367. Prioribus seu presidentibus conventuum atque locorum omnium provinciae imponitur per patentes, ut habeant infra terminum unius diei, etiam sub precepto formali et sub pena absolutionis ab officiis suis, solvere taxam sibi determinatam a reverendo provinciali iuxta dictamen conscientiae suae ipsis impositam ab eo dicto provinciali pro expensis factis reverendissimo generali ab eo tam in associando quam in subveniando dicto reverendissimo generali, prout consuevit fieri. Venetiis, 5 novembris.

1368. Frater Franciscus Casotus de Lesina promovetur et licentiatum ad gradum bachalarei et ad lecturam *Sententiarum* pro quattuor annis, iuxta acta capituli generalis pro gradu magisterii exclusive, in conventu Lesinensi cum loco, gratiis et dum effectualiter legat per annos quattuor et non aliter, ad instantia provincialis et priorum provinciae. Venetiis, 5 novembris.

1369. Frater Marcus de Jadra assignatur in suo conventu Jadrensi, quo melius ab infirmitate possit convalescere. Paduae, 24 novembris.

1370. Frater Marcus de Jadra per patentes assignatur in lectorem conventus Jadrensis, hac tamen conditione, quod non fungatur lectoratus officio, nisi post Pascha resurrectionis; obsecratur ac astringitur provincialis, ut foveat illi in huiusmodi. Tridenti, 5 decembris. [f. 152v]

1371. Predicto per patentes datur facultas testimoniandi in beneficium consanguineorum suorum et non suam. Tridenti, 5 decembris.

1547

1372. Frater Ambrosius Spalatensis habuit per litteras privatas (licentiam) recedendi a provincia et intrandi congregationem Ragusinam. Commendatur pro charitate patribus dictae congregationis. Tridenti, 6 ianuarii.

1373. Magister Albertus de Catharo per patentes incorporatur in provincia cum magisterio in suo conventu originali de Catharo, mandaturque omnibus prelatibus provinciae tam presentibus quam futuris sub precepto formali atque etiam subditis, ut teneantur suum acceptare magisterium dando ei locum cum omnibus privilegiis. Tridenti, 19 februarii.

1374. Frater Marcus Alegreti de Spalato assignatur per patentes in studentem formalem sacrae theologiae cum gratiis Bononiae pro rata provinciae et commendatur patribus. Tridenti, 25 februarii.

1375. Frater Thomas de Spalato, bacchaliarius, per litteras privatas habuit licentiam discedendi a provincia et petendi Paduam vel alio prout medici consulerint ad recuperandam sanitatem; aggravatur conscientia sua ad non discedendum nisi adsit necessitas. Bononiae, 18 aprilis.

1376. Frater Hieronymus de Jordanis Jadrensis alias per reverendissimum de Casaus in litteris patentibus translatus ab ista provincia ad illam Lom-

bardiae, innovatur per patentes talis translatio, accedente tamen assensu reverendi provincialis Lombardiae cum facultate affiliandi in aliquo eiusdem provinciae conventu, ubi fuerit a maiori parte vocalium capitulariter congregatorum receptus, cum gratiis etc. Bononiae, 23 aprilis.

1377. Fratri Jacobo Tavileo de Sybinico confirmatae sunt litterae reverendissimi (magistri generalis Alberti) de Casaus et innovatae presertim quantum ad assignationem in sua provincia et conventu Sybinicensi, a qua intus propter grave crimen possit amoveri, cum omnibus gratiis. Item habitatur ad omnia officia ordinis cito, quod sit illegitime natus. Florentiae, 1 iunii.

1378. Fratri Ambrosio de Sybinico iuniori conceditur, ut capta temporis opportunitate possit Romam, id est provinciam, adire, nec possit impediri; atque in illa recipi commendatur omnibus. Florentiae, 1 iunii.

1379. Reverendo provinciali fratri Hieronymo Bucchiae de Catharo, ad instantiam fratris Thomae de Spalato, bacchalaurei, et prioris Sanctae Crucis, per patentes, quae apud ipsum fratrem Thomam debent remenere, significatur qualiter licentia reverendissimi (magistri generalis) ipse frater Thomas recessit a provincia et in suo pristino conventu ad ipsam remittitur decernendi condemnationem seu declarationem factam contra eum esse penas taxatas recedentibus sine licentia a provincia nullam. Item non vult, quod molestetur de cetero super quibusdam litteris, quae ad illius manus devenere aperte et erant provincialis ad reverendissimum (magistrum generalem), non autem illas interceptit, in quibus fiebat mentio de fratre Philippo Spalatensi. Item quandocumque petierit absolutionem a prioratu propter infirmitatem, statim debeat illum absolvere; optaret tamen quam prius visitaret conventum Sanctae Crucis et si iudicaverit expedire pro bono conventus, possit fratrem Philippum Spalatensem et fratrem Valerium de Tragurio inde amovere ac extra conventum expellere (citra tamen passionem) tam ipse provincialis, quam sui successores pro tempore, non obstantibus quibusdam litteris ipsi fratri Valerio, dum esset vicarius ordinis, concessis. Item ipse provincialis habeat videre administrationem conventus Sybinicensis pro eo tempore, quo fuit prior; et si defraudavit, puniatur frater Thomas; si autem fuit dispensator fidelis, puniatur frater Cherubinus Sybinicensis contra eum latrans; et si illum super hoc infamavit, iuxta tenorem constitutionum (condemnetur). Item conventus predictus Sanctae Crucis teneatur satisfacere pro dimidietate expensarum, quas fecit in medicis, medicinis atque itinere, dempto tamen id quod exposuit ex Padua Florentiam et ex Florentia Paduam. 1 iunii.

[ff. 152v-153r]

1380. Frater Lucas de Brachia, conversus, Brachiensis, et frater Nicolaus de Crayna, conversus, Civitatis Veteris, per patentes ad requisitionem prioris et patrum conventus Spalatensis eidem conventui affiliantur, dummodo accedat beneplacitum reverendi provincialis. 9 iulii.

1381. Frater Laurentius de Lesina habuit licentiam (nisi fuerit assignatus Bononiae in studentem pro rata provinciae), ut cum lectoris titulo possit in conventu Sancti Marci de Lesina iunioribus legere, ubi assignatur a reverendo provinciali et in futura Quadragesima predicare. Bononiae, 18 septembris.

1382. Frater Ambrosius de Corzula habuit (licentiam), ut causa infirmitatis discedere possit e provincia Lombardiae, ubi degebat, et ire ad istam et concedatur omnibus, maxime provinciali. Bononiae, 9 octobris. [f. 153v]

1383. Frater Sixtus de Jadra incorporatur provinciae Lombardiae ubi fuit nutritus cum auctoritate ut, accepto consensu reverendi provincialis dictae

provinciae, possit affiliari alicui conventui seu loco eiusdem, quem elegerit, dummodo accedat etiam consensus maioris partis filiorum eiusdem. Bononiae, 26 octobris.

1384. Conventui Jadrensi conceditur facultas vendendi quamdam domum, dummodo accedat consensus maioris partis vocalium; et pecuniae sub deposito apud fidelem personam reponantur, non expendendae nisi propter fabricam conventus aut investiuntur in possessionem etc.; et mandatur sub pena absolutionis presidentibus tam provinciae quam conventus, ne audeant dictas pecunias, nisi propter causas predictas, moveri. Per patentes. Bononiae, 18 novembris.

1385. Reverendo provinciali fratri Hieronymo Buchiae per patentes mandatur, ut quamprimum ab illarum receptione intimari habeat, die videlicet tertiam dominicam post Pascha Resurrectionis et locum determinare fratribus provinciae pro futuro capitulo et electione celebranda provincialis, declarando ut die predicta capitulum ipsum, quam primum congregati fuerint vocales, provincialatus officium compleat et nunc pro tunc ipsum reverendum provincialem fratrem Hieronymum ab officio provincialatus absolvit instituiturque nihilominus vicarius provinciae et futurae electionis, usque provincialis electus fuerit, confirmatus et presens in provincia. Insuper vult, quod fratres per eum deputati aut quomodocumque in ipsis conventibus aut in aliis assignentur ab eo; quod si infra mensem non assignaverit, vult ut sua auctoritate intelligantur assignati in illis conventibus, nisi sint deputati. Monetur ut de cetero caveat ab huiusmodi deputationibus et a vocum privationibus, et omnino a priorum absolutionibus, nisi magna obstiterint crimina, iniungendo dictis penitentiam. Bononiae, 18 novembris 1547.

1386. Frater Dominicus Urmaneus Spalatensis humiliatus obtinuit veniam suorum defectuum et cum sua benedictione recedit, ita ut satisfactus de eo remansit reverendissimus (magister generalis). Item accepit licentiam redeundi in Corvatiam cum socio voluntario, quoniam constabit illum accersitum a prorege aut ab aliquo domino pro alicuius pii operis causa; astringaturque presidens conventus Spalatensis precepto formali, quatenus infra duos dies a litterarum intimationem debeat restituisse cellam illam suam secundam ad dextram ingredientibus dormitorium pro sua habitatione quoad vixerit in religione sub obedientia prelatorum provinciae et ordinis. Bononiae, 18 novembris.

1387. Frater Lucas de Sybinico, iuvenis, habuit licentiam petendi tempore opportuno pro capitulo alteram suam provinciam superioris Lombardiae vel Romanae et recipiendum in ea, qua causa mandatur provincialibus illis. Bononiae, 18 novembris. [f. 154r]

1388. Fratri Jacobo Tavileo de Sybinico conceditur, quod possit exigere legatum ac elemosinas intuitu persinae suae oblatas recipere et in suos usus expendere seu in beneficium conventus Sybinicensis ad libitum suum, dummodo pecunias penes se non retineat, sed apud aliquem officialem conventus, quem elegerit sibi magis gratum, cui precipitur sub pena gravioris culpa, ne alicui exburset etiam quod repereretur a superioribus conventus aut provinciae absque ipsius fratris Jacobi voluntate. Item, accomodatur eidem prima cella dormitorii in ingressu ad sinistram eique per sua habitatione consignatur quoad religiose vixerit. Item, instituitur librarista conventus, ita ut curam gerat librorum sub inventario accomodatque se ipsum atque alios fratres pro tempore existentes de libris. Item, quod possit tenere clavem hortus conventus et in ipsum ire horis tamen convenientibus et pre-

ter scandalum. Postremo instituitur lector conventus absque preiudicio alicuius. Bononiae, 20 novembris.

1389. Sororibus Vincentiae, Hieronime cum altera socia de Belliziis de Catharo tertii habitus per patentes concessum fuit, ut a priore Cathari seu altero ex duobus magistris possint suscipere scapularium benedictum ab uno eorum ipsumque deferre usque ad mortem et gaudere privilegiis tam in vita quam in morte precise ac si essent moniales claustrales monasterii. Bononiae, 20 novembris.

1548

1390. Frater Thomas Eugubius Spalatensis, bacchalaris, canonicè electus 28 decembris, confirmatur in priorem conventus Sanctae Catharinae de Spalato, cui datur omnis auctoritas prioribus ordinis nostri dari solita, cum precepto formali, ut acceptet, et fratribus, ut illi tantum obediant, declarando omnem aliam confirmationem preter istam, factam in quemcumque alium, nullam interdicendo officium prioratus cuicumque alio etc. Per patentes. Bononiae, 18 ianuarii. [f. 154v]

1391. Fratri Placido Martiniaco de Spalato, bacchalaris, conceditur, ut in conventu Spalatensi possit *Sententias* effectualiter legere pro gradu et forma magisterii durante fratre Thoma predicto in officio prioratus, quam lecturam approbat. Bononiae, 18 ianuarii.

1392. Magister Xistus de Sybinico instituitur per patentes super totam provinciam commissarius specialis et pacis compositor cum plenaria auctoritate ad componendum lites et est tam circa electionem futuram provincialis quam quecumque alia etiam ut antequam vocales congregentur cum reverendo provinciali, fratre Dominico de Brachia, priore Catharensi, examinare singulos, ut moris est, super validitate suarum vocum et suae sententiae vult standum, cum quo unus ex duobus declinaverit et tales solummodo ad electionem admittant; instituiturque iudex causarum cum duobus aliis nominatis a partibus singulo a singula parte vel ambo ab utraque una cum aliis terminet omnes lites et etiam eius sententiae, ut preferitur, decernit fore standum absque apellatione super precepto et censuris, cum precepto formali ut acceptet congruo tempore ad minus post Pascha immediate ad provinciam et conventum Traguriensem, ubi celebrandum est capitulum, se conferat publicando litteras et executioni mandando cum precepto formali fratribus provinciae omnibus tam prelatiis quam subditis, ut illi obediant in premissis. Bononiae, 21 februarii.

1393. Fratribus omnibus provinciae per patentes significatur ad ammovendam omnem fraudem in futura electione, qualiter deputati fratres in eisdem conventibus vult esse assignatos, similiter privatos voce a quocumque superiori et pro quacumque causa restituit ad electionem, nisi de magnis criminibus convicti fuerint, ut iuxta constitutiones merito in penam gravioris culpae sint declarati, vult tamen ut defectus alioquin minores, propter quos privati sunt per vicarium recognoscantur et puniantur cum diffinitoribus. Item declarat omnes assignationes factas a provinciali post mensem a notitia superiorum litterarum contentarum superiori folio datarum 18 novembris irritas esse et fratres ad conventus pertinere eos unde ammoti fuere ab illo tempore. Item conventus Dulcinensem, Turculensem, Pagensem et Nonensem pro nunc priores iuxta ordinationem factam in visitatione priores tantum habebunt vocem, non mittantur socii aut missi ad electionem non admittantur et in capitulo ad vicariatus sub provinciali de cetero reducantur, privans eos titulo et privilegiis conventuum et priores absolvens. Item precepto for-

mali mandatur et sub pena excommunicationis latae sententiae omnibus fratribus per litteras apostolicas seu privilegia ab beneficia habilitatos, ut infra terminum unius diei naturalis ostendant ipsas litteras et nisi infra triduum per publicum instrumentum resignaverint censeantur omnibus officiis et privilegiis ordinis tam in vita quam in morte sint privati. Item mandatur, ut presidentes conventuum faciant penis congruis servari ordinationem capituli generalis de radenda barba.

1394. Reverendus magister Xistus Sybenicensis unanimiter et canonicè electus 21 aprilis in conventu Traguriensi confirmatur per patentes in pergamento in provincialem provinciae cum auctoritate solita. Neapoli, 19 maii. [f. 156r]

1395. Fratri Hieronymo Buchiae de Catharo, olim provinciali, concessa est facultas exigendi contributiones a prioribus seu presidentibus conventuum non adhuc exactas cum facultate precipiendi illis et pro illo tempore, quo erat provincialis. Neapoli, 20 maii.

1396. Fratri Hieronymo Buchiae predicto ad instantiam fratris Trifoni, conversi, de Cattaro precepto formali mandatur et sub pena gravioris culpe et privationis premissarum contributionum exigendarum, ut intra terminum dierum decem teneatur sufficienter providere de vestimentis eidem fratri Trifono, qui sibi per 3 annos inservivit, committingo hunc etiam provinciali moderno. Neapoli, 20 maii.

1397. Conventui Sancti Nicolai de Catharo propter inopiam concessum est per patentes, quod non teneatur dari provinciali pro contributionibus plus quam unum ducatum aureum; item eidem in quacumque causa non teneatur dare vinum, sed pretium secundum tamen quod venditur Lesine vel Corsulae; item, quod non teneatur dare viaticum associantibus reverendum provincialem, sed tantum socio et sibi; item presidenti prudentie committitur, quod possit dispensare in comedendis carnibus, prout expedire iudicaverit. Romae, 11 iulii.

1549

1398. Fratri Petro Spalatensi conceditur, quod possit esse in loco Sanctae Mariae de Veruta et retinere ibi patrem suum et de sibi concessis eum sustentari. Non tamen habet titulum aut locum ullius prelationis in ordine et est subiectus correctioni reverendi provincialis Dalmatiae. Et precipitur sub pena excommunicationis latae sententiae omnibus et singulis fratribus, ne ad illum locum audeant, aut molestent eum pro rehabendo loco absque licentia reverendissimi generalis et voluntate fratris Petri; et non impediatur cum iverit Venetias vel miserit socium pro negociis suis aut etiam loci illius. Romae, 5 ianuarii.

1399. Frater Doimus instituitur baccalaureus et assignatur in conventu et studio Sancti Eustorgii Mediolanensis ad legendum quatuor annos Sententias pro forma et gradu magisterii in loco ordinario, cum gratiis et privilegiis solitis. Mediolani, 14 iulii.

1550

1400. Idem frater Doimus, qui legit iam per annum et secundum adhuc currit, declaratur baccalaureus etiam in provincia sua cum gratiis, privilegiis et loco, non obstante ordinatione suae provinciae, si qua esset in contrarium, in qua pro hac vice dispensat reverendissimus. Novalegie, 17 maii.

1401. Omnibus et singulis fratribus ad hanc procuram quomodolibet pertinentibus precepto formali et sub pena gravioris culpe preceptum fuit, ne

ad monasterium Jadrense accedant neque loquantur cum monialibus, nec litteras aut nuntios, aut munuscula eis dent, aut ab eis recipiant nisi de licentia reverendi provincialis aut prioris Jadrensis, qui tantum pro necessitate eum concedat. Bononiae, 26 aprilis. [f. 156v]

Congregatio Ragusina

1545

1402. Fratri Raphaeli et fratri Bartholomeo, Ragusinis, data est facultas, ut possint venire ad provinciam Lombardiae ad studendum. Tridenti, 1 septembris. [f. 216r]

1403. Frater Thomas Ragusinus de Carlovich per patentes habilitatur ad omnes et singulas gratias ordinis et ad eorum usum restituiturque ad vocem tam activam quam passivam (si tamen opus sit), propterea quia alias a pluribus annis, dum adhuc juvenis esset, per reverendum vicarium congregationis seu priores conventus fuerat privatus. Inhibetur ne de ceteris quispiam super huiusmodi illum molestare possint, precipiturque fratribus omnibus sub penis gravioris culpae, ne in huiusmodi aliquid contra ipsum obiicere presumant. Aliis in contrarium etc. Romae, 22 novembris.

1404. Frater Valentinus de Ragusio subrogatur in conventu Sancti Domini de Neapoli statim completo tempore sive recedente fratre Thoma de Ragusio a dicto conventu et tunc assignatur in studentem formalem sacrae theologiae in dicto conventu pro rata provinciae Dalmatiae cum omnibus gratiis etc.; nec vult quod aliquis nomine dictae provinciae post datas patentes possit illum precedere, mandamus reverendo priori dicti conventus sub pena absolutionis ab officio, quam ipso facto contrafaciendo incurrat, quatenus predicto tempore habeat illum recipere et iuxta consuetudinem conventus providere, cui atque ceteris officialibus studii commendatur etc. Romae, 28 decembris.

1405. Fratri Thadeo Obradovich per patentes datur licentia, accedente consensu reverendi vicarii congregationis et patrum conventus Sancti Domini de Ragusio, conferendi se ad provincias Serviae, Bosnae et Tribunae ibique verbum Dei predicare christifidelibus et sacramenta toties quoties opus fuerit ministrare cum ordinis benedictione. Omnibus christifidelibus commendatur decerniturque post susceptum consensum ad congregationem spectare et ad suum conventum, ita quod, quando revertetur, habeatur recipi non tamquam profugus, sed vult incorporatus; et quamdiu steterit in illis provinciis, vult ipsum gaudere privilegiis et gratiis ordinis. Romae, 5 maii. [f. 216r-v]

1406. Frater Thomas Carlovich de Ragusio, post completum triennium sui studentatus in conventu Sancti Domini de Neapoli, provinciae Regni, assignatur pro studio ibidem per triennium per patentes cum auctoritate eundi Ragusium pro suis negociis ac redeundi. Romae, 18 iunii.

1407. Fratri Ambrosio Araneo date sunt patentes, ut constringat priorem seu presidentem conventus Ragusii ad solvendum pecunias fratri Thomae Carlovich Ragusino ratione sui studii triennii, prout consuevit et tenetur conventus dare studentibus formalibus. Quod si obedire neglexerit, presidens conventus declarabis absolutos ab officiis, nisi infra tres dies satisfecerint solvendo, quas pecunias mittet fratri Thomae seu consignabit. 18 iunii.

1408. Frater Michael de Ragusio habuit acta capituli congregationis confirmata per patentes in pergamento omnia privilegia concessa ab aliis generalibus, scilicet quod quolibet anno possit congregationem celebrare per

modum capituli provincialis et quod ordinationes facte in congregatione habeant vim ordinationum capituli provincialis; item, quod antiquus vicarius novum confirmare possit vel, ipso mortuo, prior Ragusinus aut, priore Ragusino mortuo vel amoto, prior Sancte Crucis id agat; item, quod decedente vicario prior Ragusinus aut, eo mortuo vel alias quomodolibet impedito, prior Sanctae Crucis sit vicarius et loco illius remaneat cum omni auctoritate usque ad electionem et confirmationem novi vicarii, ita tamen quod quam primum certificent reverendissimum (magistrum generalem) de electione at confirmatione novi vicarii; item, quod electores vestri vicarii et diffinitorum capituli sint vicarius generalis precedens, priores conventuum, socii priorum, magistri in theologia et qui alias vicarii vel priores in congregatione fuerunt, vicarius Insulae Mediae, ex supprior illius conventus, in quo celebratur ipsa congregatio et electio; item, quod vicarius generalis pro tempore habeat omnem auctoritatem super ipsa congregatione, quam habent provinciales in suis provinciis, ita quod si aliquis provincialis esset in congregatione, vicarius nihilominus habeat locum super illum. Eius auctoritas durare debet per biennium vel circa, ita quod non oporteat propter hoc accelerare vel prorogare electionem, sed vicarius durare non possit nisi per biennium, ita quod non sit cum dimidio, sed, elapso biennio, alius eligatur. Et si contingat vicarium infra annum eligi, eius auctoritas duret usque ad tempus capituli secundi anni sui vicariatus, ita tamen quod diffinitores capituli vestrae congregationis habeant auctoritatem ipsum absolvendi, etiam ante biennium, si per duas partes supradictorum electorum vicarii fuerit absolutus, et non aliter. Si mortuus fuerit vicarius tribus mensibus ante capitulum, eius vices gerens teneatur infra octo dies convocare omnes patres sub pena suspensionis ab officio, cum quibus statuatur diem et horam electionis futuri vicarii et die statuto habeant procedere ad electionem vicarii tantum. Capitulum vero post Pascha tempore consueto celebretur; item quod, mortuo vicario infra annum, eligatur tantum unus socius qui sit elector cuiuslibet conventus; item si contingat aliquem renuntiare voci activae, intelligatur etiam renuntiasse voci passivae; et hoc in penam, ne contingat in fraudem id fieri; item fratres ab extra venientes non habeant vocem in electione, nisi per annum steterint assignati in congregatione continuum et integrum immediate precedentem electionem faciendam. Non vult quod aliquis, suscepto magisterio seu bachelario aut predicatore generali, gaudeat privilegiis et gratiis eorum, nisi per tres partes vocum capitulariter congregati fuerit admissus ab eis; item vult quod fratres fugitivi seu habentes licentiam eundi ad aliquam provinciam et non iverint, non recipiantur in sua reversione, nisi per tres partes vocalium congregationis, si tempore congregationis ad eos se transtulerint; extra vero illud tempus non recipiantur, nisi a reverendo vicario generali et duobus prioribus ac maioris partis patrum conventus Ragusini, ita tamen quod hec receptio sit ad tempus usque ad futuram congregationem. Tables fugitivi penam gravioris culpa incurrant et sunt privati voce activa et passiva, ad quam non possint restitui, nisi tempore congregationis per diffinitores et tres partes vocales. Similiter, si aliquis iuvenis seu conversus habuerit licentiam a reverendissimo (magistro generali) seu eius vicario exeundi congregationem, non intelligatur talis licentia, nisi intervenerit consensus vicarii congregationis. 25 iunii. [ff. 216v—217v]

1409. Frater Petrus de Segnia per patentes habet facultatem transeundi ex congregatione Chroviae ad congregationem Ragusinam ob Turcharum periculum et sic removetur eius affiliatio ad congregationem et transfertur

ad istam, accedente tamen consensu maioris partis vocalium illius conventus, ubi est affiliandus daturque reverendo vicario auctoritas congregandi capitulum atque declarandi istam suam affiliationem conventus Sancti Dominici de Ragusio. 30 iunii.

1410. Fratri Nicolao de Segnia per patentes approbatur et ratificatur translatio ipsius a congregatione Chorvatiæ ad istam et affiliatio ad conventum Sancti Dominici de Ragusio, ex quo nullus comparuit contra illum ad opponendum. Insuper imponitur silentium omnibus, que contra illum obiecta fuerunt, ex quo nec comparuerint, nec rationes miserunt contra illum, hoc modo quod res ille tractentur solum coram reverendissimo (magistro generali); quod vult observari. 30 iunii.

1411. Frater Michael Cicerus de Ragusio per patentes reservaturi iudicio reverendissimi super quibusdam sibi obiectis, ex quo exhibet se paratum ad reddendam rationem. Item fratribus congregationis imponitur silentium sub pena gravioris culpæ tam super id, quod alias Bononiæ tempore sui studentatus fecit ad quoddam monasterium sine licentia, ubi penitentia satisfecit, quam super predictis. Prima iulii.

1412. Reverendus vicarius generalis frater Ambrosius Araneus per patentes confirmatur, id est ratificatur confirmatio in eum facta a vicario antiquo, qui dubius erat an haberet legitimam auctoritatem, cum approbatione omnium, que dictus modernus vicarius in suo officio gessit. Prima iulii.

1413. Reverendo vicario predicto per patentes imponit, quatenus habeat punire eos fratres, qui interceperunt litteras reverendissimi (magistri generalis Alberti) de Casaus ad fratrem Nicolaum de Segnia et suas, dum esset vicarius ordinis. Similiter illos, qui privilegia predecessorum suorum ad ipsam congregationem laceraverunt; item imponit silentium super eo, quod commiserat dum esset vicarius ordinis vicario preterito, qui puniret illos, qui sibi scripserant, quod dictus vicarius fuisset simoniace electus, decernens patentes seu litteras illas nullas; item omnibus fratribus habentibus litteras reverendissimorum generalium aut vicariorum ordinis, que retentoribus immediate non pertineant, teneantur ipsi vicario congregationis presentare; item sub pena gravioris culpæ ordinat, quam ipso facto contrafacientes incurrunt, quod quando reverendissimus vel eius vicarius miserit litteras directas priori et patribus, quod prior non debeat eas seorsum aperire; similiter, si dirigerentur vicario et patribus. Romæ, 2 iulii. [ff. 217v—218r]

1414. Frater Petrus de Ragusio²⁶³ transfertur a provincia Sancti Thomæ, ubi habitum accepit et professionem emisit, ad congregationem ipsique cum omnibus gratis affiliatur. Per patentes. Romæ, 3 iulii.

1415. Reverendo vicario pro tempore per patentes conceditur, ut in sua congregatione et conventibus locum super omnes provinciales teneat et Fidelium dicat. Ragusii, 10 septembris.

1416. Item omnibus fratribus congregationis inhibet, ne fiant procuratores civium vel secularium et, casu quo sint facti ipsis nescientibus, procuratoris officium non exercent. Item non vult, quod vicarius possit dare licentiam, sed tantum generalis, fratribus eundi ad Turchiam vel infideles. (Eadem die).

²⁶³ Petrus Gozeus (Goceus, Gozius) de Ragusio: S. Cerva, *Iconotheca*, str. 130—187; *Bibliotheca Ragusina in qua Ragusini scriptores eorumque gesta et scripta recensentur*, III, (rukopis u knjžnici dominikanskog samostana u Dubrovniku), str. 45—54; I. Đurđević, *Vitæ illustrium Rhacusinorum*. Tiskano u: *Biografska dela I. Đurđevića*, SKA, Zbornik za istoriju, jezik i književnost, II od., knj. VII. Beograd 1935, str. 74—75, 111, 118.

1417. Reverendo vicario pro tempore sub formali precepto mandatur, ut quam primum incarceret fratrem Donatum de Ragusio ad inquirendum et processandum. (Eadem die).

1418. Frater Bernardus de Chaboga Ragusinus removetur de quocumque conventu et assignatur in conventu seu loco Sancti Nicolai Insulae de Medio precipiendo sub pena gravioris culpae, ut quam primum illuc vadat et stet quousque per reverendissimum inde removeatur. Ragusii, 11 septembris.

1419. Frater Augustinus de Bobalio Ragusinus removetur de quocumque conventu et assignatur in conventu Sancti Dominici de Ragusio cum omnibus gratiis. (Eadem die).

1420. Sororibus monasterii de Ragusio Sancti Michaelis concessum est, ut possint bis in anno confiteri alteri, quem reverendus vicarius et prior Ragusinus dederint, preter suum ordinarium confessorem, qui faciet generalem absolutionem. Ragusii, 12 septembris.

1421. Soror Maria, priorissa dicti monasterii, decernitur, quod non possit astringi ad acceptandum et exercendum officium priorissae aut suppriorissae. (Eadem die).

1422. Nobilis dominus Joannes Marini Gotius per patentes in pergamento instituitur procurator generalis cum auctoritate solita dari et recipitur ad beneficia ordinis cum tota familia. (Eadem die).

1423. Reverendo vicario, priori Sancti Dominici, priorissae et matribus monasterii Sancti Michaelis de Ragusio in meritum sanctae obedientiae et sub pena gravioris culpae, quam ipso facto contrafacientes incurrant, (mandatur), ut infra mensem a notitia suarum litterarum habeant reficere rotam, ita quod nullatenus tangi vel videri possit quidquid ab intus ab his, qui stant extra. Similiter et crates confessionarii et sacristiae apponatur tela nigra affixa lignis in extremitatibus ad mensuram fenestrae ita quod nullatenus ab intus et extra colligentes possint se invicem videri. Poterit tamen priorissa illam aperire aliquoties in anno, quando mater vel germanae aut consanguineae voluerint cum aliqua sorore loqui, si oportuerit. Ragusii, 13 septembris.

[f. 218v]

1424. Attestatur per litteras ordinasse et mandasse fratribus istius congregationis, presertim Insulae de Medio, ut pro quolibet anno teneantur celebrare triginta unam missas in quadam capella situata in uno scopulo nuncupato Ruta (!), et alias 31 missas similiter annuatim in capella Giupanae nobilis Francisci de Caboga Ragusini, prout acceptarunt dicti fratres vigore cuiusdam instrumenti, dum acceptarent dictum scopulum, alioquin sub pena amittendi dictum scopulum et amittendi omnia iura contenta in ipso instrumento contento in libro *Diversorum* notariae Ragusinae de 1536, die 1 iunii, carta 18. Ragusii, 13 septembris.

1425. Attestatur per litteras ordinasse et de novo mandat fratribus congregationis, presertim conventus Gravosiae, ut qualibet (h)ebdomada teneantur dicere tres missas in capella domini Bernardi de Bona Ragusini, alioquin censeantur et sint privati emolumento 24 perperorum monetae Ragusinae, quod recipiunt annuatim a thesaurariis Sanctae Mariae vel a quavis alia persona pro celebratione dictarum missarum. (Eadem die).

1426. Reverendus dominus episcopus Tribunensis et Mercanensis frater Thomas Cervina (!) de Ragusio per patentes decernitur gaudere gratiis tam in vita quam in morte cum facultate accipiendi et detinendi secum tot fratres sive clericos, sive conversos, quot sibi visum fuerit, petita licentia a suis prelatiis, licet non obtenta. Ragusii, 14. septembris.

1427. Frater Jacobus, conversus, de Ragusio habuit licentiam discedendi in futuro Paschate proximo Resurrectionis a congregatione et petendi Lombardiam ac intrandi provinciam, de beneplacito tamen reverendi vicarii congregationis. (Eadem die).

1428. Frater Petrus de Segna per patentes transfertur a congregatione Segniae ad istam et affiliatur conventui Sancti Dominici de Ragusio cum omnibus gratiis etc. de consensu reverendi vicarii, prioris ac patrum dicti conventus. Corzulae, 16 septembris.

1429. Jacobo Alegreti Golosich Ragusino post inclinationem erga illum tam reverendi vicarii generalis congregationis, quam patris prioris conventus Sancti Dominici de Ragusio, conceditur facultas vendendi duas domos dicti conventus, ita tamen quod in primis tam ipse vendens, quam emens expendant fratribus quingentos ducatos aureos in auro et excepto illuc supra plus iuxta extimationem virorum peritorum in arte, quod in reparationem dictarum domorum exposuit pater suus carnalis, si remenserit aliquid ultra defalcationem ducatorum quingentorum et illius quod pater suus exposuit, decernit spectare ad conventum predictum, alioquin venditio et emptio sit nulla, tantum in venditione et extimatione moneantur fratres. Per patentes. Corzulae, 16 septembris. [f. 220r]

1430. Reverendo patri fratri Ambrosio Araneo, tunc vicario congregationis, conceditur, ut, si conventus non providerit suis necessitatibus, possit ex consanguineis et amicis sibi providere et quod nihil ammoveatur e cella sua. Item quod ter in anno possit unicuique sacerdoti confiteri etc. Jadrae, 23 septembris.

1431. Fratri Paulo Ciceri de Ragusio conceditur cella sita in dormitorio novo conventus Sancti Dominici de Ragusio coaptata ex pecuniis parentum et quod nullus inferior possit eam accipere seu occupare, dummodo inculpabiliter seu religiose conversetur, etiam si alibi fuerit assignatus. (Eadem die).

1432. Fratri Thomae Carlovich de Ragusio decernitur qualiter assignatio sibi facta, que habetur folio 216 facie secunda, pro aliis tribus annis in conventu Sancti Dominici de Neapoli post tres annos sui studentatus censeatur et sit studens honoris. (Eadem die).

1547

1433. Reverendo vicario et priori Ragusiae pro tempore conceditur, ut coniunctim eorum conscientias aggravando, possint interpretari mentem reverendissimi (magistri generalis) in ordinationibus suis pro necessitate, non autem ad relaxationem in duobus, scilicet in accipiendis carnibus ab extra, presertim a magnifico comite, et circa collationem communem ad quam omnes tenebantur convenire, nec recordatur aliquem se dispensasse reverendissimus ab illis, commendavit tamen eis pro caritate fratrem Clementem senem; vult remotionem fratris Bernardi a conventu Sanctae Crucis de Gravosio stare et etiam fratris Augustini ab Insula de Medio. In reliquis sint in eorum dispositione. Fratri Bernardo concedit cellam superioris dormitorii prope fratrem Petrum Goze, at pecuniis consanguineorum faciat sibi coaptare. Per litteras privatas clausas. Tridenti, 13 ianuarii. [f. 220r-v]

1434. Fratri Bernardo Cabogae de Ragusio per patentes conceditur, ut pecuniis parentum aut amicorum sibi possit facere coaptari, qua(n)dam cellam superioris dormitorii conventus Ragussi vacuum prope illam fratris Petri de Goze, dummodo non deserviat communitati conventus, que quoad vixerit

sub obedientia ordinis tamen, consignatur pro sua, ita quod a nemine inferiori possit auferri esse, quod non manserit Ragusii aut ibi non sit assignatus. Tridenti, 15 ianuarii.

1435. Frater Ambrosius de Spalato, sacerdos, remittitur sententiae reverendi vicarii huius congregationis cui dat auctoritatem, ut eum a pena gravioris culpa possit absolvere ac omnibus gratiis restituere sibi aliquam penitentiam iniungendo, prout ei, scilicet reverendo vicario, visum fuerit. Florentiae, 1 iunii.

1436. Reverendo vicario fratri Ambrosio Araneo committitur per patentes, ut habito consilio patrum, si maiori parti videbitur expedire, habeat reponere patrem fratrem Augustinum de Ragusio ad conventum seu locum Insulae de Medio ad subveniendum eius necessitatibus; item confirmationem prioris conventus Sanctae Crucis de Gravosio nullam esse decernit, si ita sit, ut frater Christophorus pro ebrio declaratus fuerit, ut eligendum tamen admissus contra ordinationem congregationis qua decretum fuit ebrium, penae gravioris culpa subiacere id quod iudicare vel diffinire, num scilicet declaratus fuerit ebrius aut non, in suo et patrum reponit arbitrio; quod si constat illum esse ebrium et tamen ad electionem admissum prioris, denuo procedatur illo dempto; item committitur patri fratri Clementi, ut audita controversia occasione quarundam litterarum inter reverendissimum vicarium et fratrem Valentinum, habeat absolvendo vel damnando finem imponere. Romae, 12 iulii.

1437. Fratri Bernardo de Chaboga per patentes consignatur quoad vixerit sub obedientia prelatorum ordinis pro sua habitatione cella quondam patris fratris Vincentii cum illis conditionibus contentis in aliis litteris datis Tridenti pro concessione alterius. Dispensatur a processionibus, quae sunt extra conventum ac a mortuorum funeralibus et exequiis, et maxime a distantibus. Insuper non vult quod invitus possit compelli ad acceptandum quodcumque prelaturae officium. Romae, 12 iulii. [f. 221r]

1438. Fratri Bernardo predicto per patentes conceditur, ut possit recipere a parentibus et amicis elemosinas intuitu personae suae oblatas ac apud aliquem patrem officialem conventus, ubi degebit, sibi magis gratum sub deposito retinere, quo valeat in suis necessitatibus et infirmitatibus sibi providere, ne patiat. Romae, 12 iulii.

1439. Reverendo vicario et patribus congregationis per patentes intimatur, ut inspectis litteris registratis in ultima parte precedentis folii ad patrem fratrem Clementem, cui precipitur, ut illas habeant producere, in quibus committebatur decisio controversiae inter ipsum reverendum vicarium, ad una parte, et fratrem Valentinum de Ragusio, ab altera, imponendo finem vel absolvendo, vel damnando etc., si suum mandatum excessit aut de sibi non concessis se intromisit aut parte inaudita iudicavit, decernit eius sententiam nullam et irritam, reponens omnia et singula prout ante sententiam stabant in suo robore, commendavit tamen condemnatum per priorem sententiam, ut secum agatur misericorditer. Monet eos de cetero, ut diligentius litteras suas melius inspiciant ac secundum earum continentiam obediant non transgrediendo commissionem seu excedendo. Bononiae, 27 aprilis.

1548

1440. Fratri Valentino de Ragusio conceditur per patentes eundi Adrianopolim per 3 aut 4 menses causa recuperandi matrem suam captivam in

manibus Turcarum licentia et postea redeundi ad conventum suum. Neapoli, 12 aprilis.

1441. Fratri Thadeo de Ragusio confirmatur cella olim a sororibus suis concessa, posita in conventu Sancti Dominici de Ragusio, videlicet in dormitorio, quae non possit ab eo auferri, etiam quod extra conventum Ragusinum assignetur. Neapoli, 12 aprilis. [f. 221v]

1442. Fratri Blasio de Ragusio conceditur idem ut supra et quod possit ubique predicare tam apud fideles quam infideles et in provincia Dalmatiae, dummodo sit vocatus et dempta omni specie lucri. Per patentes. (Eadem die).

1443. Fratri Blasio et fratri Thomae de Ragusio concessum est, ut possint in proximo futuro iubileo pro sua devotione Romam petere, nec impediri valeant. Neapoli, 7 maii.

1444. Frater Thomas Carlovich de Ragusio per patentes habet officium predicandi et quod possit etiam apud infideles et ubique, prout in duobus precedentibus concessum fuit. Precepto formali mandatur omnibus subiectis, ne illum impedire valeant. Neapoli, 20 maii.

1445. Frater Thomas predictus assignatur, completo suo studio, ad conventum seu locum Insulae de Medio cum gratiis fratribus assignatis dari solitis vigore constitutionum nostrarum. Neapoli, 22 maii.

1446. Fratri Thadeo (conceditur licentia), quod possit ire in Trebignum propter nonnulla negotia agenda et visitandi parentes. Neapoli, 23 maii.

Provincia Utriusque Lombardiae

1447. Fratri Xisto Jadrensi de Dalmatia concessum est, ut possit affiliari in conventu Basellae et per patentes declaratur affiliatus de consensu reverendi provincialis et medietatis ipsorum vocalium. Tridenti, 8 augusti (1545). [f. 31r]

1448. Frater Hieronymus de Jadra accepit facultatem per patentes mutandi affiliationem suam a conventu Sancti Dominici de Asculo propter rationabiles causas ad quemcumque conventum provinciae, ubi habuerit consensum maioris partis vocalium illius conventus et imprimis beneplacito provincialis. Tridenti, 27 decembris (1546). [f. 38r]

1449. Frater Innocentius de Pago dispensatur quod possit promoveri ad sacerdotium, non obstante quod non expleverit annum 24 et nonum in religione, dummodo excesserit 22-um et alias sit a suis prelati idoneus iudicatus. Florentiae, 14 maii (1549). [f. 59r]

1450. Affiliatio facta in conventu Baselle in fratrem Xistum de Jadra quia, ut dicitur, non est legitime facta, revocatur; conceditur tamen, quod si a maiori parte vocalium dicti conventus capitulariter congregatorum de consensu provincialis admissus fuerit, sit filius dicti conventus. Mediolani, 18 iulii 1549. [f. 285r]

1451. Frater Sixtus de Jadra declaratur esse filius conventus Basellensis habita informatione, quod litere superius primo loco supra registrate folio 285 falso fuerunt supplicate et iterum decernitur et declaratur filius conventus Bergomensis eo quod per decretum reverendissimi (magistri generalis) omnes filii conventus Basellæ transferuntur ad conventum Bergomensem. Cremonae, 13 septembris (1549). [f. 287v]

1452. Frater Honophrius de Arbe Dalmata dispensatur ad sacerdotium post Pascha suscipiendum, non obstante ordinatione provincie de novem aut de decem annis. Parmae, 16 septembris (1549). [f. 288r]

Provincia Regni

1453. Frater Thomas de Ragusio, qui cum licentia suorum prelatorum Romam iverit etc., e congregatione Ragusiae remittitur Neapolim nec ratione, quare isto tempore non interfuit lectionibus patris regentis, ammittit studentatu(m). Mandat priori conventus Sancti Dominici de Neapoli in meritum obedientiae ac de pena absolutionis ab officio prioratus, quatenus cellam suam ac cetera omnia ad ipsum spectantia habeat restituere. Romae, 22 novembris (1545).

1454. Fratri Christophoro Dalmatae confirmatae sunt patentes alias in capitulo Lugdunensi sub reverendissimo (magistro generali) Fenario, quibus translatus est a provincia Dalmatiae ad istam et incorporatus cum affiliatione conventus seu loci Sancti Thomae de Neapoli, et innovatae sunt maxime quod sit procurator generalis et quod possit an altero duorum conventuum de Neapoli, scilicet Sancti Dominici vel Sancti Petri Martyris, affiliari de consensu reverendi provincialis et maioris partis. Neapoli, 22 maii (1548). [f. 89r]

Provincia Terrae Sanctae

1455. Frater Jordanis de Catharo assignatur in studentem formalem pro rata huius provinciae in conventu Sancti Dominici de Neapoli cum omnibus gratiis etc. Mandat priori et patribus ac officialibus studii, ut sine contradictione illum acceptent etc. Romae, 17 novembris (1545). [f. 142r]

Provincia Sancti Jacobi de Mexico

1456. Frater Vincentius Dalmata de Corzulis²⁶⁴ assignatur per patentes in studentem theologiae Bononiae cum omnibus gratiis etc. pro rata provinciae huius, cuius est nativus et filius conventus Sancti Dominici Messicanensis. Commendatur omnibus. Paduae, 13 octobris (1546). [f. 203v]

1457. Fratri Vincentio Dalmatino conceditur, ut, dempta omnis cupiditatis questus nota, possit durante tempore sui studentatus Bononiae predicare pro sua subventionem ac ellemosinas accipere nec vult quod possit impediri, quam potius commendatur omnibus, presertim prelati. Bononiae, 14 ianuarii 1548. [f. 204r]

1458. Frater Vincentius Palatinus de Corzula a gradu studentium post studium Bononiense ad gradum baccalaureatus promotus fuit cum licentia, quod possit ad eundem gradum in aliqua universitate promoveri et incorporari. Bononiae, 27 septembris (1548). [f. 204v]

Vicariatus Romanus

1459. Magister Albertus de Catharo, regens Senensis, instituitur commissarius cum auctoritate investigandi exigendique bona cuiusdam fratris conversi de Gallia morantis in (Sancto) Dominico Senensi extra religionem, novissime mortui ac componendi cum debitoribus et comparandi coram quocumque iudice seculari seu ecclesiastico et procedendi iuridice contra quoscumque personas possidentes et detinentes talia bona, cum precepto quod acceptet et exequatur. Romae, 28 februarii 1545. [f. 224r]

²⁶⁴ Vinko Paletin iz Korčule: D. Fabianich, *Storia dei Frati Minori dai primi primordi della loro introduzione in Dalmazia e Bosnia ai giorni nostri*, II. Zara 1864, str. 109—110; S. Ferrari—Cupilli, *Cenni biografici di alcuni uomini illustri della Dalmazia*, Zara 1887, str. 130; A. Bacotich, *Vincenzo Paletino da Curzola (+ 1560?) cosmografo, matematico e teologo*. Archivio storico per la Dalmazia, vol. XXI (Roma 1936), 123, str. 91—96; V. Foretić, *Pomorski teoretičar 16. stoljeća Vicko Paletin iz Korčule*. »Naše more«, god. XI (Dubrovnik 1964), br. 5—6/63—64, str. 71—73.

1460. Reverendissimo patri generali commissum fuit a Sanctissimo Domino Nostro (papa) immediate, ut habeat decidere litem seu controversiam, que prius a nonnullis prelatis extra obedientiam ordinis fuerat agitata inter magistrum Albertum de Catharo ab una parte, et fratres aliquot Campi Regii de Senis ab altera, et sic per latam sententiam in forma patentis in aula sua coram testibus, scilicet fratre Vincentio Taberna, fratre Zanobio Quintio et fratre Simeone de Pessia ac partibus, scilicet magistro Alberto et magistro Vincentio Canali Siculo agente pro parte fratrum Campi Regii, qui prius se coram testibus compromiserunt in reverendissimo generali acceptaturi quamcumque sententiam tam per viam iuris quam secundum quamdam equitatem. Sententia fuit, quod fratres Senenses, sive conventus Campi Regii per totum mensem augusti proxime sequentis hoc anno 1546 teneantur solvisse dicto magistro Alberto scuta viginti quinque in auro, precipiendo vicario provinciae magistro Victorio de Florentia sub pena absolutionis ab officio et solutionis scutorum viginti quinque in auro, quam contrafaciens incurrat, ut dimissis negociis aliis studeat quam primum a notitia presentiarum Senas accedere vel alio meliori modo taxare numerum fratrum et personas, que pre ceteris magis teneantur ad solutionem dictae summae, quibus sub preceptis et censuris iniungat, ut quantocius expediant se pro rata sua satisfacere, etiam si libros vendere necesse fuerit pro huiusmodi solutione. Aggravatur dicti vicarii conscientia et officium sub penis preteritis, ut sine ulla tergiversatione dictam operam efficeret, etiam personam suam propriam taxando, si opus fuerit, quatenus dicta scutorum summa dicto magistro statuto tempore exsolvatur imponens silentium utrique parti, quatenus positio hac nullatenus habeant in predicta lice conqueri vel leviter musitare. Romae, 24 iulii (1546). [f. 226r-v]

Vicariatus Sancti Dominici

1461. Frater Ambrosius Tristanus de Ragusio habuit patentes, in quibus instituti fuerunt in iudices ad cognoscendum causam suam et illum audiendi: vicarius Marchiae magister Nicolaus de Cruce et prior Sancti Dominici de Asculo, mandans illis, ut insimul habeant, quod in meritum sanctae obedientiae pro iustitia et charitate iudicent, que ipse in Marchia contrectavit, presertim in conventu Sancti Dominici de Ripa, ubi fuit prior, atque usque ad sententiam diffinitivam inclusive sententiare, quorum sententiae vult utramque partem stare in perpetuum etc. Romae, 21 ianuarii (1546). [f. 248r-v]

1462. Fratri Dionysio Jadrensi confirmatae sunt patentes et, in quantum opus est, de novo renovate: obtinente a patribus provinciae Sancti (Dominici Venetiarum) quod fuit electus a conventu Sanctorum Johannis et Pauli de Venetiis in filium et sic reverendissimus transfertur illum a provincia Dalmatiae ad istam et eum affiliat predicto conventui; item promittentes se ei concessuros propriam cameram, quae vocabat in inferiori dormitorio et iam consignarunt, possessionem dictae camerae dat; item conformiter dictis patribus concedit facultatem, ut libere extra ecclesiam conventus celebrare possit, ita quod non valeat nemine reverendissimo inferiori impedire; item committit priori ut, visis compratis ac expensis, infra duos dies a significatione factis per eum noviciis eo tempore, quo curam illorum gessit, debeat illi, si creditor sit inventus, satisfacere. Per patentes. Tridenti, 17 ianuarii 1547. [f. 255r-v]

1463. Frater Marcus de Catharo per patentes transfertur a provincia Dalmatiae ad istam et affiliatur conventui Tridentino, cuius instituitur pater,

nec vult quod possit ab eo ammoveri absque suo expresso et particulari scitu et quodquod serius serius (sic!) fuerit attemptatum, irritum decernitur. Tridenti, 14 februarii (1547). [f. 255v]

1464. Reverendo magistro Xisto de Sybinico per patentes conceduntur omnes et singule gratie et privilegia, commoda et quecumque alia concessa tam per se quam per predecessores quibuscumque magistris, patribus et fratribus conventus Sanctorum Johannis et Pauli de Venetiis. Bononiae, (30 martii 1547). [f. 256v]

1465. Magistri Sixto de Sybinico per patentes in meritum obedientiae mandatur, ut habeat quantocius audire rationes fratris Antonii Florentini ordinis Minorum degentis Venetiis, quibus conqueritur se a quodam fratre Saba depredatum fuisse et pro iustitia compellere ad satisfaciendum eidem, cogendo illum etiam invocato auxilio brachii secularis ad claustrum reverti vel deferre habitum distinctum, cum investigatione vitae illius. Bononiae, 14 (februarii 1548). [f. 261v]

1466. Fratri Marco de Catharo per patentes de novo confirmatur et conceditur camera pro sua habitatione quoad vixerit cum hortulo et aliis annexis prospiciens ad flumen conventus Tridentini, nec possit a possessione libera et pacifica molestari. Bononiae, 15 (februarii 1548). [f. 261v]

1467. Reverendo magistro Sixto Sibenicensi, provinciali Dalmatie, conceditur, post expletum officium provincialatus, quod possit esse in suo conventu Venetiarum cum omnibus gratiis, exemptionibus etc., quas ceteri patres ac magistri prefati conventus habent. Florentiae, Kalendis iunii (1549). [f. 264r]

1468. Frater Martinus de Sybinico, degens in monasterio Sancti Sebastiani de Neapoli, declaratur assignatus in conventu Anunciatae de Magdalono quotiescumque contingat bella vel huiusmodi etc. Neapoli, 22 maii (1548). [f. 272r]

Registra eorum quae facta seu concessa sunt a tempore quo frater Hieronymus de Genua fuit substitutus reverendissimi vicarii ordinis Praedicatorum Romae ab anno 1545.

1469. Venerabilis pater frater Vincentius de Jadra, provinciae Dalmatiae, de beneplacito reverendissimi protectoris et conformiter gratiae concessae reverendo patri vicario ordinis, decernitur absolutus a pena gravioris culpe et a quacumque alia et, in quantum opus est, absolvitur atque habilitatur gratiis et dignitatibus ordinis. 8 iunii 1545. [f. 278r]

1470. Frater Jacobus de Dalmatia instituitur commissarius et procurator ad inquirendum et depositandum bona patris fratris Dominici de Tabia, cum autoritate comparendi coram quocumque iudice seculari seu ecclesiastico. Et precipitur presidenti et in virtute etc. fratribus conventus seu loci Sancti Tholomei de Nepe, ut cuncta spectantia ad ipsum teneantur in manibus consignare et consignari facere cuncta que sciunt, ut obediant illi in omnibus tamquam mihi dumtaxat in hac materia etc. 21 iulii 1545, Romae. [f. 279r]

1471. Frater Dominicus Spalatensis absolvitur ab excommunicatione sibi facta a magistro Antonio quam incurrit. Item post susceptam disciplinam committitur, ut habeat sedem in uno prandio in pane et aqua in uno conventu, quem ipse elegerit et dicere unam missam de *Requiem* cum tribus vicibus 7 psalmos *Penitentiales* pro penitentia quam incurrit propterea quod ad Urbem venit sine licentia. Monetur, ut quam primum viderit reverendissimum provincialem, humiliet se, qui ipsum suscipiet in visceribus caritatis. 16 septembris 1545, Romae. [f. 280v]

Provincia Hungariae

1472. Frater Nicolaus de Segnia transfertur per patentes ad congregationem Ragusinam et quod affiliari in conventu Sancti Dominici de Ragusio, accedente consensu vicarii congregationis et maioris partis vocalium. Item assignatur in dicto conventu. Romae, 20 iunii 1546. [f. 112r]

1473. Magister Johannes de Gara habet (licentiam), quod possit (venire) ad curiam seu ad personam reverendissimi (magistri generalis), maxime pro negotio labentis provinciae. Item quod quidquid habere poterit a quibusvis personis, possit expendere in libris et in suis necessitatibus. Romae, 24 iunii 1546.

Stephanus Usodimare (1546-1553)

Provincia Dalmatiae

1546

1474. Conceditur licentia reverendo magistro Alberto de Catharo manendi in curia reverendissimi cardinalis de Cambara ad requisitionem suae dominationis et declaratur assignatus in conventu de Catharo, salvo tamen in causa sui magisterii, iure tam suo quam provinciae Dalmatiae. Romae, 6 decembris 1546. [29, f. 93r]

1547

1475. Frater Vincentius Duimi decumbens assignatur in suo conventu de Catharo pro recuperanda sanitate. Romae, 25 martii 1547.

1476. Frater Augustinus Buchia obtinuit facultatem posse condere testamentum in forma consueta etc. 7 maii, 1547.

1477. Frater Antonius de Zara remittitur ad provinciam Dalmatiae et assignatur in conventu Zaratino, cui etiam remittitur residuum poenae, quam merebatur ob accessum ad Urbem sine licentia etc. 19 maii, 1547.

1478. Fratri Domnio de Almisia datur licentia, ut possit reverti ad Urbem anno futuro pro negociis oatenus narratis. 9 decembris, 1547.

1479. Frater Lucas de Spalatro seu de Brachia, conversus, assignatur in conventu Spalatensi. 12 decembris, 1547.

1480. Frater Dominicus de Lesina deputatur in conventu Osmensi; quod si prior nollet eum acceptare, eo casu sibi conceditur ut possit commorari extra claustrum in aliquo honesto loco ad venturum Pascha pro recuperandis nonnullis suis bonis ibidem, dum permaneret extra ordinem dispersis. Completo autem predicto tempore eidem sub formali precepto mandatur, ut indilate se provinciali Dalmatiae presentet, acceptus ab illo suam obedientiam. 13 decembris, 1547.

1548

1481. Fratri Antonino de Ragusio conceditur facultas disponendi de bonis suis hereditariis in suarum parentum utilitatem, nihil sibi appropriando. 1 martii, 1548.

1550

1482. Venerabilis frater Dominicus de Mediolano assignatus fuit in conventu Sancti Marci de Lesina, sibi originali, et commendatur provinciali. 7. martii, 1550. [f. 93v]

1483. Concessum fuit fratri Vincentio de Corzula, recepto ad habitum et professionem in conventu Sancti Dominici provincie del Sancto Jacobo Messico, ut possit incorporari in provincia Dalmatie de concessu provincialis,

vel in altera provinciarum Italię, ubi invenerit benevolos provinciales, qui vellint illum recipere et retinere etc. Romae, 16 aprilis 1550.

1484. Committitur reverendo magistro Gregorio de Ragusio et fratri Martiali de Catharo iudicium et causa absolutionis fratris Tiburtii Buchia de Catharo a prioratu Sebinicensi per fratrem Valerium de Tragurio, commissarium reverendi provincialis et visitatorem dicti conventus, ad inquirendum an sine causa legitur ipsum ab hoc officio et, si illum innocentem invenerint, acriter predictum commissarium puniant, abolita prius ab eo omni nota et informia manifestataque sua innocentia, si minus, nil innovent, sed omnia sub quiete, ut iacent, permittant. Insuper, ut similiter examinent causam cuiusdam infamie eidem fratri Tiburtio per fratres Jacobum Thavileum et Georgium, conversum de Sibirico, de certa summa peccunie pro dicendis missis Gregorianis, super qua fertur illum defraudasse conventum Sibiricensem, et cum plenaria potestate absolvant inocentes et reos damnent ad luendas penas meritas. Imponitur autem ipsis, ne huiusmodi iudicia et causas incipiant, nec prosequantur, nisi adsit consensus reverendi provincialis Dalmatiae, qui in fidem, quod ratam habeat, iudicia hec per illos exerceri, literis patentibus manum apponat. Non obstantibus etc. 28 aprilis, 1550.

[ff. 93v—94r]

1485. Precipitur sub precepto in forma venerabili priori Sebnicensi moderno, ut restituat libellum quemdam cum omnibus aliis rebus, quas frater Tiburtius Buchia de Catharo in illo conventu dimiserat post absolutionem sibi factam a prioratu, si tamen in veritate illa habere debet et reddat autem ipsi fratri Tiburtio ad primam eius requisitionem vel cui per suas litteras ipse commisit, non obstante. Concessum fuit fratri Tiburtio Buchia de Catharo, ut possit mutare affiliationem suam a conventu Catharensi in alium conventum provinciae Dalmatiae. Romae, 29 aprilis 1550.

1486. Frater Philippus de Spalatro assignatur in conventu Sibiricensi. Messanę, 25 iunii 1550.

1551

1487. Fratri Paulo de Jadra concessum fuit posse mutare suam affiliationem. In communi forma. Neapoli, 10 iunii 1551.

1488. Frater Georgius de Transilvania assignatus fuit in conventu Jadrensi. In forma. Neapoli, 10 iunii 1551.

1489. Frater Dominicus de Sibirico assignatur in suo conventu originali Sibirici, dummodo tamen infra duos vel tres menses ad plus in eodem conventu personaliter se presentet et non aliter. Romae, 15 augusti 1551.

1552

1490. Conceditur fratri Vincentio Duimi de Catharo, ut possit in civitate et diocesi Viglensi commorari pro negociis et servitio reverendissimi domini episcopi, germani sui, et omnia facere in dicta diocesi pro eius servitionem, que eidem mandaverit cum inhibitione, quod ab aliquo inferiori non possit ab hoc opere impediri etc. Romae, 27 iulii 1552. [f. 94v]

1491. Confirmatur magistro Dominico Buchie de Catharo quedam licentia eidem concessa per reverendissimum generalem bone memorie, quod possit revideri facere quamdam *Expositionem* suam *super Evangelia* per reverendos dominos episcopos Stagnensem et Tribuniensem ex ordine, quatenus eorum licentia relative possit illi concedi licentiam exponere predictam in publicum dari etc. Romae, 27 iulii 1552.

1492. Frater Vincentius de Segnia assignatus fuit in conventu Sancti Nicolai Segniensis. In forma. 20 septembris 1552.

1493. Data est libera facultas super dicto magistro Dominico Buchia *Expositionem* suam *super Evangelia quadragesimalia* imprimendi, attenta bona relatione primam revisionem etc. 17 novembris 1552.

1494. Concessum fuit fratri Vincentio Paletino de Corzula, sacerdoti, ut pro subventionem duarum neptium suarum et earum maritatione possit per quadriennium morari extra conventus ordinis et sua industria quereri aliquod honestum lucrum pro levanda earum miseria et inopia, ita tamen, predicto tempore elapso, indilate ad ordinem revertatur. 15 aprilis, 1552.

1553

1495. Frater Georgius Antiquarius de Pharo²⁶⁵ confirmatus fuit in provinciale. In forma. Romae, 16 maii 1553. [f. 95r]

Congregatio Ragusina

1549

1496. Commissum fuit sub formali precepto reverendo vicario congregationis Ragusinae, priori Sanctae Crucis Gravosię et fratri Petro Goceo, ut coniunctim examinare debeant causam absolutionis fratris Francisci de Ragusio a vicariatu Insule Medii; et si invenerint, quod diffinitores capituli congregationis eum a predicto vicariatu absolverint in penam certe infamie sibi late et ipsa infamia non fuerit bene probata, in pristinum gradum restituant, absoluto quocumque alio; si vero cognoverit, quod alia ratione vel ex mera voluntate et obedientia id statum fuisse, ei super hac causa silentium imponant. Veruntamen, factum infamie examinent et si dictum fratrem culpabilem invenerint, secundum culpe exigentiam puniant; si, e contrario, innocentem, eum absolvant et liberum permittant etc. Conceditur autem supradictis patribus libera facultas faciendi omnia supradicta cum omni auctoritate etc. Romae, 28 iunii 1549. [f. 158v]

1497. Frater Thomas de Lesina transfertur a provincia Dalmatiae in congregationem Ragusinam de consensu reverendi vicarii congregationis. Romae, 7 augusti 1549.

1550

1498. Declaratum et statutum fuit, quod, cum frater Basilius de Ragusio auffugerit a conventu Ragusino, qui sibi per reverendum vicarium congregationis loco carceris deputatus fuerat, si contigat illum ad dictam congregationem et conventum sine licentia reverendissimi generalis vel vicarii redire, debeat loco carceris recipi et pro condemnato ad carceres haberi et teneri, non obstantibus etc. 19 martii, 1550.

1499. Fratri Valentino de Ragusio concessum fuit, ut, si fuerit vocatus a vicario congregationis, possit libere illo ire et morari in dicta congregatione, non obstante quacumque prohibitione etc., declaraturque absolutus ab omni pena etc. et restituitur in pristinum gradum. Eidem concessum fuit, ut intuitu pietatis possit ire Constantinopolim vel ad circumvicina loca ad visendam matrem in partibus illis morantem et pro commoditate itineris, si voluerit, aliquo tempore morari Chii. Concessum fuit priori seu presidenti conventus, ut possit illum pro assignato vel deputato, secundum eorum beneplacitum, ibidem retinere. Panormi, 17 septembris.

²⁶⁵ Juraj Zebić (Starjanić): D. Farlati, *Illyricum sacrum*, V, str. 419.

1551

1500. Frater Blasius de Ragusio remittitur ad congregationem Ragusinam et quia pro excessibus commissis in dicta congregatione pro maiori parte egit presentiam, ordinatum et mandatum fuit patribus dicte congregationis, ne super eisdem eum molestent sine speciali commissione reverendi vicarii vel reverendissimi generalis, irritum etc. Romae, 5 aprilis 1551.

1501. Renovatae fuerunt quedam littere patentes reverendissimi generalis, quibus alias remitebat reverendum magistrum Gregorium de Ragusio in congregationem Ragusinam cum affiliatione sui conventus Sancte Crucis de Gravosio et assignabat in conventu Sancti Dominici de Ragusio; et, ad tollendum omne dubium, de novo omnia predicta sibi concessa fuerunt in ampla et gratiosa forma etc. Romae, 3 iunii 1551. [f. 159v]

1553

1502. Venerabilis frater Reginaldus de Genua, prior Sancte Marie Incoronate de Ancona, missus fuit ad visitandam congregationem Ragusinam cum omni auctoritate tam in capitibus quam in membris, etiam in his, que exigent specialissimum mandatum. Romae, 29 ianuarii 1553. [f. 160r]

Provincia Utriusque Lombardiae

1503. Fratri Hieronymo de Jadra datur licentia mutandi affiliationem. In forma consueta. Romae, 5 novembris 1546. [f. 19r]

Provincia Regni

1504. Frater Valentinus de Ragusio assignatur in conventu Sancti Petri Martiris de Neapoli etc. Romae, 19 iulii (1549). [f. 41r]

1505. Frater Lucas de Jadra assignatus fuit in conventu Sancti Petri Martiris de Neapoli usquequo possit subintrare loco primi studentis vacantis in studio Sancti Dominici. Neapoli, 21 maii 1550. [f. 44r]

1506. Concessum fuit fratribus Vincentio de Tra(g)urio et Vincentio de Sancto Severino, ut possint una cum ministris societatis, quae Mater Jesu in civitate Neapoli nuncupatur, pergere ad partes orientales, etiam usque Constantinopolim, si opus fuerit, pro redimendis captivis, qui a Turcis in illis regionibus detinentur, decernendo quod tempus, quod consumabunt in eundo et redeundo, non debeat eis in sortem temporis sui studii computari, supra tantundem temporis ultra triennium in eodem studio manere habeant. Neapoli, 9 decembris 1550. [f. 45r-v]

Franciscus Romaeus (1550-1552)

Provincia Dalmatiae

[1552]

1507. Frater Dominicus de Brachia institutus est vicarius provinciae Dalmatiae et electionis, absoluto prius a provincialatu magistro Sixto de Sybenico, sicut petierat, et data est autoritas, quam solent habere vicarii provinciarum mortuo vel amoto provinciali et iniunctum est, ut in conventu Sancte Crucis, ubi indictum fuerat, congreget capitulum pro electione provincialis ad tertiam dominicam post Pascha et examinatores vocalium duo eligantur ab omnibus, qui pretendunt se esse vocales, qui duo sic a maiori parte illorum electi una cum ipso vicario examinent, qui habent vocem in electione et eorum iudicio stetur; et autoritas duret quoad provincialis

electus et confirmatus suscipiat officium provincialatus. Tridenti, 15 martii.
[30, f. 25v]

1508. Frater Placidus Martiniacus Spalatensis, petitus a provincia sua Dalmatię ad gradus scholasticos cum legerit *Sententias* per quatuor annos pro forma et gradu in conventu Spalatensi, licentiatus est ad gradum magisterii in quacumque universitate, dummodo in proximo capitulo petatur a provincia ad hunc gradum specialiter et rigorose examinatus a magistro Dominico Buchia cum duobus aliis ab ipso electis sufficiens et idoneus fuerat iudicatus. Tridenti, 13 martii. [f. 26r]

1509. Frater Georgius Antiquarius institutus est predicator generalis in sua provincia Dalmatie, si tamen in proximo capitulo a diffinitorio petatur. Tridenti, 16 martii.

1510. Frater Lucas de Brachia²⁶⁶ assignatus est in conventu Jadrensi cum quatuor iuvenibus: fratribus Michaelae, Gabriele, Archangelo, Raphaelae nec possint inde removeri per quemcumque inferiorem nisi ob crimen aut scandalum, donec fuerint sub eiusdem disciplina. Tridenti, 16 martii.

1511. Fratri Paulo Glavato de Catharo data est facultas disponendi de rebus iure dotis matris sue provenientius et ex eis aliqua sibi reservare pro studio tantum, cum precepto priori Catharensi, ut de his, que conventus ratione ipsius percepit, tribuat ei pro huiusmodi causa; et gravatur conscientia eius, si in alia, quam pro studio, expenderit; et prioribus, si tempore studii non subvenerit etc. Verone, 11 aprilis. [f. 27r]

1512. Magistro Sixto de Sybenico concessus est usus camere, que olim fuerat magistri Leonardi Veneti, si alteri concessa non est et accedatur consensus patrum conventus Sanctorum Johannis et Pauli Venetiarum. Vincentie, 13 aprilis.

1513. Fratri Hieronimo Buchia de Catharo confirmata est assignatio in conventu Cathari, a quo non possit removeri per quemcumque inferiorem, nisi ob crimen aut scandalum; item quod possit tenere, recipere et in suas necessitates expendere pecunias; item quod non teneatur surgere ad matutinas nec possit mitti ad celebrandum pro capellis; item quod de redditibus, quos percepit ex possessione matris suae, possit satisfacere debitis domus eius. Paduae, 20 aprilis.

1514. Reverendus pater frater Dominicus Severinus de Brachia, electus canonicus et unanimiter in provincialem Dalmatiae VII maii in conventu Sancte Crucis de Bua, confirmatus fuit cum solita autoritate et precepto. Pro eadem provincia concessa sunt que postulaverant in dicto capitulo, videlicet quod priores sint biennales et vacent ab eodem conventu uno anno tantum, sed requiratur autoritas apostolica; quod, si committitur a Sede Apostolica fratribus huius provincie officium inquisitionis, ipsum exequantur fideliter et iuxta litteras sibi concessas. Frater Marinus de Brachia translatus est a conventu Brachie ad Traguriensem; quod provincialis possit dispensare cum aliquibus fratribus, ut habeant pecunias in deposito etc. et quod frater Vincentius de Corzula et frater Thomas de Pharo possint promoveri ad baccalaureatum cum gratiis, gradu et loco baccalaureorum, si tamen legant

²⁶⁶ Luka Polovinić zvani »fra Luka Bračanin«: *Psalmi Davidovi fra Luke Bračanina*. Za štampu priredio Petar Karlič. Djela JAZU, 27. Zagreb 1917; A. Zaninović, *O životu i književnom radu fra Luke Bračanina*. Građa za povijest književnosti hrvatske, XIV. Zagreb, JAZU, 1951; F. Fancev, *Nova poezija Splitsanina Marka Marulića*. Rad JAZU 245, str. 13—14; A. Fazinić, *Fra Luka Bračanin*. Zbornik u povodu 700. obljetnice smrti sv. Tome Akvinskoga (1274—1974). Zagreb 1974, str. 201—215.

et actus scholasticos realiter in aliqua universitate vel studio generali exercent. Florentie, 5 iunii. [f. 29r]

1515. Magistro Dominico de Catharo concessum est, ut faciat examinari a duobus episcopis *Expositionem* quam fecit *super Evangelia*, et referant ad reverendissimum (magistrum generalem), ut eius licentia possit eam impressioni dare. Romae, 15 iulii. [f. 30v]

Congregatio Ragusina

[1551]

1516. Frater Dionisius de Ragusia assignatus est in Sancto Dominico de Neapoli in studentem formalem pro rata congregationis sue Ragusine pro tribus annis incipiendis a Paschate Resurrectionis 1552 cum gratiis et privilegiis. Placentiae, 14 octobris 1551. [f. 18v]

[1552]

1517. Frater Dominicus Ragusinus,²⁶⁷ congregationis Ragusine, raptus olim ad Ungaros et inter Turcas conversatus, receptus est ad gratias, remissis sibi penis positivis apostasie debitis et absolutus a censuris. Remissus est cum literis clausis ad vicarium congregationis et priorem conventus Ragusini cum mandato, ut ipsum recipiant et retineant. Romae, 3 iulii 1552. [f. 30r]

1518. Fratri Blasio de Ragusio data est licentia, ut cum socio sibi a suo priore deputando possit peregrinari ad Hierusalem et loca sancta. Romae, 9 iulii 1552. [f. 30v]

Stephanus Usodimare (1553-1557)

Provincia Dalmatiae

[1553]

1519. Provinciae Dalmatiae et congregationis Ragusinae contributio taxata et limitata fuit hoc modo, videlicet quod provincia Dalmatiae solvat generali scuta quatuor et procuratori similiter quatuor, congregatio Ragusina generali duo et procuratori tria. Romae, die 29 maii. [31, f. 131r]

1520. Reverendo magistro Dominico Buchia commissum fuit, ut possit dare impressioni super *Beati immaculati*, dummodo per dominos episcopos Thomam Merchanensem et Petrum Gozium Stagnensem fuerit talis expositio approbata. Die prima iunii.

1521. Prioribus provinciae Dalmatiae declaratum et impositum fuit, quod provincialis non teneatur solvere contributiones de suis, sed conventus et loca provinciae proportionaliter obligantur ad solvendum pro illa summa tantum, quae aucta fuit in capitulo Salmaticensi, et non ultra. Die prima iunii.

1522. Frater Martialis de Catharo institutus fuit predicator generalis in sua provincia, annuente ad hoc provinciali.

1553. Prebitum fuit testimonium per patentes literas, quod Sanctissimus Dominus Noster (papa) vivae vocis oraculo concessit illustrissimo domino protectori, quod priores conventuales in hac provincia possint in eodem conventu, postquam per biennium vacaverint, eligi et confirmari, non expectata vacantia quadriennii, non obstante brevi domini (papae) Julii etc. Die 29 iulii, 1553.

²⁶⁷ Dominicus Georgii (Đurđević): S. Cerva, *Iconotheca*, str. 202–208; M. Vanino, *Isusovci i hrvatski narod*, I. Zagreb 1966, str. 11.

1554. Fratri Paulo Jadrensi conceditur posse affiliari in conventu Jadrensi, cum consensu in forma etc. Die 10 ianuarii.

1555. Sorori Vincentiæ Thomasich, tertii habitus et ordinis de penitentia, concessum fuit posse confiteri sua peccata cuicumque sacerdoti exposito etc., et hoc attenda sua gravi etate et bona relatione etc. Die 25 (ianuarii).

1556. Frater Petrus Vetrurinus Jadrensis dispensatus fuit super defectu natalium et habitatus ad omnia officia et dignitates ordinis usque ad difinitorium capituli generalis inclusive etc. Die qua supra.

1557. Reverendus frater Sixtus de Jadra institutus fuit predicator generalis provincie Dalmatię cum gratiis etc. et precepto formali, ut acceptetur et admittatur ad omnia, que huiusmodi predicatorum generales admitti in provinciis ordinis solent. Non obstantibus etc.

1558. Fratribus conventus Jadrensis concessum fuit posse commutare quedam petia terrae inutilia in alia bona immobilia in evidentem utilitatem conventus, de consensu tamen provincialis et duarum tertiarum partium capituli etc. 14 februarii.

1559. Supradictis fratribus conceditur, si non possint aliunde reparationi fabricę conventus providere et aliis fratrum necessitatibus, presertim lectisterniis etc., possint aliqua legata eis relicta pro huiusmodi exponere secundum quod priori et sindico conventus ac reverendo fratri Sixto de Jadra et magnifico domino Johanni Rossa, eiusdem conventus procuratori, videbitur expedire etc., dato etiam quod talia legata pro aliis causis relicta et applicata fuissent, dummodo non sint talia pro quibus merito Sedes Apostolica esset consulenda. Die qua supra.

1560. Frater Vincentius de Tragurio assignatus fuit in conventu Jadrensi ad legendum *Sententias* pro forma et gradu magisterii per quadriennium, postquam ille, qui per capitulum generale fuit suum officium et tempus compleverit. Interim autem committitur provinciali, ut ei aliquem locum deputet, in quo possit se in officio lectoratus exercere, dispensaturque secus a lectura octo annorum ante baccalaureatum iuxta ordinem capituli generalis. Licentia et litere habite fuerunt expedite et erronee hic transposite. Neapoli, die 18 mensis octobris anni 1553. [f. 131v]

1561. Confirmata fuit licentia alias data fratri Vincentio de Corzula mandandi extra ordinem per triennium pro subventionem quarundam suarum neptium indigentium etc. In forma. Die 28 aprilis.

1562. Conventui Dulcinii restitutus est titulus prioratus et datus est illi in priorem frater Marcialis de Catharo cum solita autoritate et quod perseveret in officio secundum morem provincię et, eo tempore expleto, si reverendus provincialis non providerit de priore et ibi fuerint ad minus duo fratres, prior Catharensis mittat vicarium. Si autem non fuerit nisi unus frater, mittat vicarium cum uno aut duobus fratribus de dicto conventu, qui priorem eligant, confirmandum a reverendo provinciali, si ei placuerit. In electione autem socii ad capitulum provinciale serventur acta capituli generalis etc. Ultima aprilis.

1563. Frater Augustinus de Lesina obtinuit facultatem testandi. In forma. Die 11 iunii, Faventie.

1564. Frater Raphael de Ragusio assignatus fuit Bononiae in studentem formalem pro rata provincie huius. In forma. Die 13 septembris, Bononiae.

1565. Frater Paulus Spallatensis potest morari extra ordinem pro subventionem suae matris constitute in necessitate fere extrema; et hoc usquequo

possit sibi aliunde provideri etc.; item quod possit audire confessiones in ecclesia Sanctorum Johannis et Pauli tempore Quadragesimæ. Non obstantibus etc. Paduæ, die 5 novembris 1554.

1555

1566. Frater Augustinus de Sibinico, qui ad habitum receptus fuerat nomine provincie et non alicuius conventus particularis, potest affiliari in aliquo conventu provincie Dalmatie et in specie conventui Sibinicensi, cum consensu tamen provincialis et maioris partis filiorum conventus, cui affiliari elegerit. Die 18 septembris.

1567. Concessum fuit fratri Johanni Petro de Almisia posse mutare affiliationem suam a suo originali conventu in conventum Sibinicensem, cum consensu in forma iuxta acta capituli generalis. 12 novembris.

[1556]

1568. Frater Vincentius de Tragurio potest manere in domo et societate reverendissimi domini episcopi Sarnensis, si ab eo quesitus fuerit pro re legitima et causa eidem disserendi sacras literas, salva assignatione in sua provincia et salvis etiam privilegiis ordinis etc. Die 21 februarii.

1569. Preceptum sub formali precepto fuit sororibus monasterii Sancti Demetrii de Jadra et in specie priorisse, ne admittant sacerdotem vel sacerdotes aliquos alterius ordinis sub quovis pretextu ad celebrandas missas in sua ecclesia predicta Sancti Demetrii, nisi de licentia venerabilis prioris pro tempore conventus Sancti Dominici de Jadra. Non obstante etc. Die 16 ianuarii.

1570. Commissum et sub formali precepto mandatum fuit venerabili fratri Aurelio de Chio, predicatori Ragusino, ut in conventu Sibinicensi, si fieri commode potest, si minus in aliquo alio se conferat et visis prius ratiociniis conventus Sibinicensis, audiat reverendum provincialem Dalmatie et fratrem Lucam de Sibinico obiectaque erga et contra alterutrum recipiat et pro iustitia determinet, absolvendo vel condemnando dictum fratrem Lucam per diffinitivam sententiam secundum sua merita vel demerita, super qua causa data fuit sibi autoritas in ampla forma citandi, examinandi per censuras et precepta et alia faciendi usque ad sententiam diffinitivam, que reverendissimus (magister generalis) posset facere, si esset presens, non obstante etc., inhibendo expresse omnibus inferioribus sub formali precepto, ne inter ea, antequam iudicium predictum sit completum, fratrem Lucam predictum quoquo modo molestant, sed per provinciam liberum ire permittant et bona ab eo ablata, que sibi pro suo usu erant concessa et iudicialiter ab eo sublata non fuerunt, eidem statim restituant, non obstante etc. Romæ, 2 martii 1556. [ff. 131v—132r]

1571. Dispensatum fuit vigore brevis recordationis Sixti IV cum fratre Joanne Spalatensi super defectu natalium et habitatus fuit ad omnia officia et dignitates ordinis usque ad provincialatum exclusive. Die 15 martii.

1572. Frater Marinus de Brachia, iam per fratres conventus Sancti Dominici de Tragurio in filium acceptatus, ibidem confirmatur translatusque fuit a conventu Sancte Marię de Bolo ad dictum conventum Traguriensem cum gratiis etc. Die 26 maii.

1573. Frater Antoninus de Lesina (habet licentiam) mutare affiliationem cum consensu provincialis et maioris partis filiorum alicuius conventus

provinciae Dalmatiae. In forma. Die, qua supra. Nulla facta mentione de consensu filiorum originalis conventus etc.

1574. Frater Buldimerius de Poglitzio datus fuit in priorem conventus Dulchini cum autoritate etc. et precepto, ut acceptet intra horam, et fratribus, ut ei obediant. Provisio enim prioris huius conventus propter electionem ultra mensem dilatam ad reverendissimum (magistrum generalem) vel ad provincialem huius provinciae erat devoluta et ad requisitionem reverendi provincialis predicti reverendissimus providit de persona predicta etc. Die 26 maii.

1575. Impositum fuit reverendo provinciali Dalmatiae ne de cetero molestet fratrem Eustachium de Lesina occasione depositionis seu testimonii fratris Gregorii Castrinich contra ipsum, attento quod idem frater Gregorius dictum suum revocaverit et asserverit ipsum provincialem vi et minis eum ad talia deponendum contra dictum fratrem Eustachium coegisse, irritum etc. De revocatione vero fratris Gregorii, quod provincialis ad hoc eum induxit et quod frater Eustachius nunquam de actu aliquo malo eum quesierit constitit ex literis subscriptis eiusdem fratris Gregorii et ideo iudicium huius causae totum sibi reverendissimus reservavit. Insuper, quia idem frater Eustachius exposuit reverendum provincialem minatum fuisse velle eum ad penas gravioris culpae damnare ob hanc causam tantum, quod quedam muliere (ut asserit) non bonae famae in ecclesia publice allocutus fuerit, cum qua nec ante, nec post familiaritatem aliquam habuit. Si ita est, eidem provinciali expresse inhietur, ne ob causam predictam, que sufficiens ad hoc non est, eum ad huiusmodi penas damnet; et si propter huiusmodi causam eum damnasset, in tali casu absolvitur et absolutus declaratur ab omni pena huiusmodi et restituitur ad omnes gratias ordinis, non obstantibus etc. Die 14 novembris.

1576. Concessum fuit fratri Thome de Lesina, ut possit, requisitus a matre sua, que preter eum neminem habet, qui ei possit in suis necessitatibus occurrere pro eius victu necessaria emere nec super hoc possit ab aliquo impediri, dummodo hoc sine fraude fiat etc. Insuper absolutus fuit ab omni pena gravioris culpae, quam incurrisset ob id, quod visus fuerit discurre per provinciam, dato etiam quod declaratio supervenerit cum non animo vagandi per provinciam, sed querendi reverendum provincialem seu procurandi deficientiam suarum vestium processerit; et imponitur omnibus inferioribus, ne super hoc amplius molestent irritum etc. Die, qua supra.

1577. Quia in dubium vertitur an eo tempore, quo frater Bundimerius institutus fuit prior Dulchini, autoritas providendi de priore eidem conventui ad reverendum provincialem vel reverendissimum (magistrum generalem) fuisset devoluta, sicut idem provincialis tunc per suas literas exposuerat; ad tollendum omnem scrupulum et ut serenitati conscientiarum satisfaciatur, commissum et sub formali precepto impositum fuit venerabili fratri Marciali de Catharo ut, audiat et debite consideratis rationibus reverendi provincialis et omnium fratrum eiusdem conventus Dulchini, iudicare et declarare debeat an autoritas providendi, ut supra, fuisset devoluta, ut supra, secundum seriem nostrarum constitutionum eo quod post notitiam cassationis ultimi scrutinii seu prioris confirmati fratribus eiusdem conventus legitime facte per mensem distulissent facere electionem; et si ita esse invenerit, eundem fratrem Bundimerium in pacifica possessione prioratus dimittat; si autem oppositum cognoverit, declaret ipsum priorem non esse nec fuisse et fratribus eiusdem conventus significet, ut ad electionem pro-

cedant, quam etiam confirmandi habeat facultatem, si id provincialis facere vel recusaverit, vel distulerit, ac etiam cogendi confirmatum ad officium acceptandum; cum precepto formali fratribus Dulcinii, ut circa premissa ei obediant etc. Die 14 novembris. [f. 132v]

1557

1578. Venerabilis frater Antonius de Forlivio institutus fuit visitator et commissarius super provincia Dalmatiae et omnibus conventibus cum omni auctoritate etiam in his, que speciale et specialissime exigent mandatum, reservata tantum auctoritate cassandi et suspendendi provincialem et novam electionem confirmandi. In specie autem sibi imponitur, ut tempore electionis futuri provincialis interesse debeat et operam dare, ne cuippiam violentia inferratur, sed omnia iuxta leges nostras pro utilitate provinciae disponantur etc., cum precepto fratribus cuiuscumque gradus existant, ut sine contradictione sibi in omnibus obediant. Non obstantibus etc. Die 5 februarii, 1557.

Congregatio Ragusina

1553

1579. Fratribus Benedicto et Joanni Mariae de Ragusio data et missa fuit licentia veniendi ad provinciam Utriusque Lombardiae. Die 28 maii, Romae. [f. 214r]

1580. Venerabilis frater Antoninus de Ragusio, illegitime natus, dispensatus fuit super defectu natalium et habilitatus ad omnes gratias et officia ac dignitates ordinis et prelaturas usque ad vicariatum congregationis exclusive. Die 29 maii.

1581. Frater Archangelus de Ragusio,²⁶⁸ iuvenis, habuit licentiam veniendi in provinciam Lombardiae desiderio studii. Die 29 maii.

1582. Frater Dionisius de Ragusio habet licentiam eundi et manendi in natione Terrae Peregrinantium,²⁶⁹ habito tamen prius consensu reverendi vicarii congregationis Ragusinae. Romae, 2 iunii.

[1554]

1583. Preceptum fuit sub formali precepto ac poena absolutionis ab officio prioris pro tempore monasterii Sancti Michaelis, ne de cetero recipiat neque admittat puellas seculares ingredi monasterium ad ibidem manendum et secum convivendum sub quovis titulo et pretextu sine speciali et in scriptis licentia reverendissimi generalis et consensu duarum tertiarum partium vocalium sui capituli totiens quotiens etc. Anconę, die 26 maii, 1554.

1584. Confirmate fuerunt omnes gratie et privilegia concessa congregationi Ragusinae a reverendissimis generalibus predecessoribus et a bone memorie (Francisco Romaeo) de Castillione approbata et confirmata, preter eam partem, in qua continetur quod diffinitores in dictę congregationis capitulo possint absolvere reverendum vicarium a suo officio non completo biennio, si per voces electorum fuerit absolutus, quam sic moderantes declaratur, videlicet quod, si vicarius predictę congregationis fuerit per voces electorum absolutus, debeant reverendi diffinitores hoc reverendissimo generali intimare vel eius vicario et causam quare absolverint et eius determinationi stare per omnia. Non fuit etiam confirmata illa particula in qua

²⁶⁸ Archangelus Gozeus (Gozze, Gozzi) de Ragusio: S. Cerva, *Iconotheca*, str. 219—224.

²⁶⁹ Terra Peregrinantium su svi misijski krajevi u Aziji (Usp. R. Loenertz, *La Société des Frères Pégrinants*. Etude sur l'Orient dominicain, I. Institutum historicum FF. Praedicatorum, Dissertationes historicae, fasc. VII. Romae, Ad S. Sabinæ, 1937).

habetur, quod fratres fugitivi dicte congregationis non recipiantur in conventibus congregationis, que sic moderatur: quod fratres illi, qui ob aliquam causam vadunt recto itinere ad reverendissimum generalem vel eius vicarium, petita licentia etsi non obtenta, non pro fugitivis habeantur, sed in omnibus et per omnia stent et contenti sint predicte congregationis patres in eo, quod esse tales statutum et determinatum fuerit per reverendissimum generalem vel eius vicarium etc. Die, qua supra.

1585. Preceptum et impositum fuit diffinitoribus capituli Ragusini proxime preteriti, ut infra terminum duorum mensium debeant reddidisse causam et rationes reverendissimo generali, quare in dicto capitulo absolverint fratrem Blasium de Ragusio a prioratu Ragusino; quod si infra eundem terminum non fecerint, in poena nullus eorum possit infra quadriennium esse prior Ragusinus neque diffinitor sui capituli etc. Die, qua supra.

1586. Frater Andreas de Ragusio dispensatus fuit super defectu natalium et habilitatus ad omnia officia usque ad diffinitionem capituli generalis vel provincialis etc. Die, qua supra.

[1556]

1587. Frater Joannes de Spalatro habilitatus fuit ad omnia officia, gradus et dignitates ordinis usque ad gradu provincialatus exclusive et dispensatus fuit secus super defectu natalium vigore brevis felicis recordationis Sixti IV, non obstantibus etc. Die 15 martii. [f. 214v]

1588. Precipitur sub formali precepto omnibus fratribus congregationis Ragusine cuiuscumque gradus et condicionis sint, exceptis prelatiis ordinariis monasteriorum et confessoribus eorum ac etiam sub paena gravioris culpe, ne monasteria quarumcumque monialium aut sororum audeant nec moniales alloquantur, recipiant vel mittant literas vel munera aut nuntios, sine licentia reverendi vicarii congregationis toties quoties etc., et in eius absentia venerabilis prioris pro tempore Sancti Dominici de Ragusia, non obstantibus quibuscumque cuicumque concessis, que omnes revocantur et revocate declarantur. Die 16 martii.

1589. Frater Antonius de Ragusio assignatus fuit in conventu Sancte Crucis de Gravosio et imponitur venerabili priori seu presidenti conventus, ut eum recipiat et tanquam assignatum habeat et retineat et cum eo in laboribus comunibus chori et refectorii sequella dispenset iuxta exigentiam sue valetudinis, prout secundum Deum, providentiam et distributivam iustitiam iudicaverit expedire. Die 16 martii.

1590. Frater Gabriel de Ragusio gratia studii potest venire in provinciam Lombardie, Die, qua supra.

1591. Monialibus monasterii Sancte Marię Angelorum de Ragusio confirmate fuere gratie in literis bone memorie Gaetani²⁷⁰ sub datis 11 martii 1511 et additum, quod pecunias a suis propinquis intuitu persone datas recipere et in comuni deposito retinere possint et de licentia prioris totiens quotiens in vestibus expendere; et quod aliquas possint admittere valde coniunctas propinquas in monasterio in suis infirmitatibus iuxta consuetam concessionem vicarii, dummodo non pernoctent etc. Die 26 iunii.

1592. Fratres Paulus et Bartholomeus de Ragusio ex eo quod per probatos processus et testes constitit ipsos inquietudinis, seditionis etc. nuper

²⁷⁰ Thomas de Vio Caietanus (Kajetan): A. Cossio, *Il cardinale Gaetano e la Riforma*, Cividale, 1902; C. Giacon, *La seconda scolastica. I grandi commentatori di s. Tommaso*, Milano 1943.

in congregatione exortis authores vel fautores fuerunt, priventur omni voce activa et passiva et omnibus gradibus et officiis dignitatem importantibus in ipsa congregatione ad beneplacitum reverendissimi (magistri generalis). Die penultima octobris, 1556.

Provincia Utriusque Lombardiae

1593. Frater Hieronimus de Jadra privatur affiliatione conventus Inconratę de Ancona et remittitur ad suum conventum originalem cum precepto formali et sub paena privationis habitus, ne ad dictum conventum Inconratę accedat mansurus ultra diem, inhibendo etiam omnibus prelati inferioribus, ne eum in dicto conventu deputent vel assignant sine expressa et in scriptis licentia reverendissimi generalis etc. Prima iunii, 1554. [f. 39r]

Congregatio Marchię

1594. Frater Vincentius de Lesina potest affiliari in conventu Sancti Dominici de Ancona, non requisito consensu sui originalis conventus, sed de consensu tantum reverendi vicarii Marchię et maioris partis fratrum vocationum predicti conventus Anconitani. Die 15 iunii, 1555. [f. 221r]

Vicariatus Sancti Dominici Venetiarum

1595. Frater Paulus Sibinicensis, octogenarius (dispensatur) a sequella et comuni vita refectorii et quod extra refectorium commedere valeat. Die 17 iunii, (1556). [f. 227r]

Generalis

1596. Reverendus frater Sixtus de Jadra institutus fuit commissarius et visitator super omnes et singulos fratres congregationis Segniae cum omni autoritate, reservata sibi tantum autoritate absolvendi vicarium generalem dictae congregationis; cum precepto formali, ut eum acceptet etc. Die 16 februarii, 1554. [f. 248r]

1597. Frater Franciscus Bivulghich, iam electus vicarius congregationis Crohatie, confirmatus est cum solita autoritate. Simulque confirmate sunt litere reverendissimi patris fratris Francisci Ferrariensis date sub 19 iunii 1525 cum moderatione huius particule, videlicet quod post quemlibet octavum annum aut decimum, si propter legitimum impedimentum a Turchis superveniens non possint absque magno periculo mittere fratres, saltem litteras mittant pro recognitione subiectionis et confirmatione vicarii a reverendissimo generali impetrandum. Die 20 aprilis, (1554). [f. 248r-v]

1598. Frater Vincentius de Lesina potest affiliari in conventu Sancti Dominici de Ancona. Vide supra in congregatione Marchię. (Die 28 maii, 1555). [f. 249r]

Vincentius Justiniani (1558-1560)

Provincia Dalmatiae

[1560]

1599. Reverendissimus frater Albertus de Catharo, episcopus Veglensis, habuit licentiam testandi in forma de bonis sibi hereditario iure spectantibus, de quibus conventus suus originalis effectualem non habet possessionem et eamets bona vendendi et alienandi, ut sibi videbitur expedire, ita tamen ut in distributione dictorum bonorum aliquam honestam portionem faciat predicto suo conventui originali. Die 2 iulii, 1560. [32, f. 117r]

1600. Frater Lucas de Jadra, ad petitionem provincialis huius provinciae et patrum conventus Jadrensis ac suam, translatus fuit a provincia Lombardie et ab affiliatione conventus Sanctae Catharinae de Neapoli ad ipsum conventum Jadrensem sibi originale et ad provinciam Dalmatiae cum gratiis et perinde ac si nullatenus filiationem dicti conventus Jadrensis dimississet. Die 3 septembris 1560.

1601. Conventus Sancti Marci de Pharo ad sui petitionem impetravit facultatem vendendi quedam predia inutilia, dummodo non excedant summam ducatorum auri decem census annui in omni eorum precio et fiat ista alienatio infra octo menses a die dicta, videlicet a 18 iunii, et fiat de consensu duarum tertiarum partium vocalium dicti conventus collegiato congregatorum; et hoc pro reparatione dormitorii et ecclesiae, que ruinam inveniuntur, ut exposuerunt. 18 iunii, 1560.

1602. Eodem die concessum fuit, instante reverendo provinciali, ut idem provincialis indicare possit capitulum provinciale anni 1561 celebrandum pro electione futuri provincialis pro 3. aut 4. sabbato post Pascha, in quo die intelligatur provincialis absolutus, non obstante quod non compleat suum quadriennium, die 20 augusti dicti anni 1561, eo petente sic pro quiete et comodo provinciae. Romae, 18 iunii 1560.

1603. Conventus Jadrensis vendidit necessitate compulsus quedam bona immobilia cum pacto retrovendendi, ne conventus damnum incureret notabile, cum consensu reverendi provincialis et maioris partis et servato quod inquireretur et obtineretur consensus reverendissimi patris nostri, quem et probavit in forma. 18 novembris, 1560.

Congregatio Ragusina

[1558]

1604. Frater Basilius Begna de Jadra translatus fuit a provincia et conventu suo originali ad petitionem patrum diffinitorum capituli huius congregationis ad ipsam congregationem et affiliatus conventui Sancti Domini de Ragusio. Die 17 septembris. [f. 209r]

1605. Frater Angelus de Ragusio fuit assignatus in studentem formalem in conventu Sancti Pauli de Hispali pro rata huius congregationis cum gratiis etc. Neapoli, die 18 octobris.

[1560]

1606. Pro quiete et iustitia sic exigente ordinatum est in ista congregatione, quod, completo vicariatus biennio patris fratris Hieronimi Georgii, nullo modo procedatur ad electionem novi vicarii, sed, ultimo die dicti vicariatus biennii completo, nunc pro tunc et aequae cassatus fuit quicumque alius vicarius dictae congregationis et institutus est ex nunc pro tunc in vicarium reverendus pater frater Dominicus de Getaldis²⁷¹ dictae congregationis pro anno uno immediate sequenti, completum biennium vicariatus dicti reverendi fratris Hieronimi cum auctoritate solita et secundum morem congregationis in forma, cum precepto tam sibi, ut dicto tempore suscipiat hoc officium, quoque fratribus omnibus dictae congregationis, ut illum recipiant, obediant, honorant et venerant. Romae, 19 iunii.

1607. Eodem die pro tranquillitate dictae congregationis ordinatum est et preceptum sub formali precepto reverendo patri fratri Hieronimo Georgico, vicario moderno dictae congregationis, ne deinceps faciat assignationes ali-

²⁷¹ O njemu v. S. Cerva, *Iconotheca*, str. 190—191.

quas de conventu in conventum vel remotionem, confirmationes vel cassationes priorum, condemnationes fratrum, preterquam ad penas gravis et levis poene; institutiones officialium quomodolibet nec subpriorum aut vicariorum, nisi de consensu et beneplacito reverendi patris fratris Dominici de Getaldis, moderni prioris Sanctae Crucis de Gravosio, qui eidem etiam vicario datus fuit in collegam in regimine congregationis et deputatus, maxime etiam in visitatione conventuum; declaratum quod est totum irritum et inane quicquid sine ipsius participatione factum fuerit et tam dicto reverendo vicario quam dicto priori, suo collegae, directae sunt litterae patentes eedem in sententia et tenore.

Eustachius Locatelli, proc. gen. et vic. gen. (1561-1566)

Provincia Dalmatiae

[1561]

1608. Frater Placidus de Jadra obtinuit facultatem disponendi bonis paternis vel maternis iure hereditario obvenientibus in favorem suum propinquorum pia causa testamenti seu donationis inter vivos; cetera in forma. Die quarta februarii, 1561. [33, f. 73r]

1609. Die 30 maii confirmatus fuit in provincialem huius provinciae frater Lucas de Brachia; in forma.

1610. Die 9 augusti concessum fuit fratri Paulo de Jadra, ut possit transferendi suam affiliationem iuxta acta capituli generalis.

Congregatio Ragusina

1611. Die 16 maii 1566 confirmatus fuit vicarius congregationis reverendus frater Augustinus Eliae de Ragusio. [f. 130r]

Vincentius Justiniani (1561-1564)

Provincia Dalmatiae

[1561]

1612. Frater Johannes de Lesina obtinuit licentiam de bonis paternis et maternis condendi testamentum; in forma. Die 16 octobris, 1561. [34, f. 178r]

[1562]

1613. Ad instantiam reverendi provincialis et patrum conventus Jadrensis concessum fuit dicto conventui, ut vendere possint tres illas domos, de quibus alias tradita fuerat huiusmodi facultas, ut patet in registro primo folio 117 in forma, quoad assensum et ecclesie evidentem utilitatem et pecuniarum in aliis bonis immobilibus applicatione. Tridenti, 4 martii 1562.

1614. Frater Gabriel de Sebenico, assignatus pro provincia in formalem studentem Neapoli, habuit declaratorias patentes, quod immediate debeat sibi locus in dicto studio post completum ibidem studium venerabilis fratris Stephani de Jadra, qui iam ibi suum absolvit studium, cum precepto formali, ut litterae executioni mandentur. Tridenti, 23 martii 1562.

1615. Conventui Sancti Dominici de Sebenico, ita petenti, concessum fuit, ut possit pro contractum componere cum Petro et Stephano de Pastrovicibus super livellum quoddam, super quod ipsi erexerunt domum proprio ipsorum iure; de consensu in forma et de utilitate in forma. Tridenti, 28 augusti 1562.

1616. Frater Paulus Jadrensis, lector, obtinuit licentiam transferendi filiationem suam a conventu originali in conventum Jadrensem; in forma gratiosa. Tridenti, 28 augusti 1562. [f. 178v]

[1563]

1617. Frater Bartholomeus de Jadra, expleto suo de more studio Neapoli, instituitur lector et subinde assignatur in lectorem in conventu Jadrensi pro predicto loco ibi immediate vacante, de consensu tamen sui provincialis quoad assignationem tantum. In forma. Tridenti, 20 octobris 1563.

1618. Frater Vincentius Palletinus de Corzula obtinuit facultatem, ut possit suscipere magisterium in sacra theologia ad hunc dumtaxat effectum, ut possit effici paenitentarius Sancti Petri de Urbe; et non aliter. In forma. Tridenti, 6 iulii 1563.

1619. Venerabili fratri Hieronymo de Lesina concessum fuit, ut de legitima sua portione paterna hereditatis testamentum condere possit in subsidium suae genitricis; in forma. Veronae, 19 decembris 1563.

[1564]

1620. Venerabili fratri Paulo Glavati de Catharo, baccalaureo, concessum fuit, ut recipere possit ex dote suae matris aureos sexaginta pro expensis factis et faciendis pro gradu consecutionis, cui ob paupertatem nimiam conventus suus non potest dare opem atque etiam ut possit reliquis iuribus suis in materna dote renunciare in beneficium suorum avunculorum, cum consensu conventus et ordinare ut debita a parentibus relicta persolvantur. Bononiae, 2 iunii 1564. [f. 179r]

Congregatio Ragusina

[1562]

1621. Mandatum fuit sub formali precepto et pena excommunicationis latae sententiae in forma omnibus ad hanc congregationem quomodolibet spectantibus, tam prelatibus quam subditis, ne quovis modo vendere audeant vinum sine licentia reverendi vicarii pro tempore, cui concessum fuit, ne concedat, sub formali precepto, si sit contra statuta illustrissimorum dominorum Venetorum. Tridenti, 19 februarii 1562. [f. 210r]

1622. Frater Archangelus de Ragusio assignatus fuit in Sancto Eustorgio de Mediolano pro rata provinciae Dalmatiae in studente formali. In forma. Tridenti, 9 maii 1562.

1623. Reverendus pater frater Blasius de Ragusio, 18 aprilis canonicè electus in vicarium generalem huius congregationis, confirmatus fuit. Tridenti, 14 iunii 1562.

1624. Frater Dominicus de Ragusio pro rata huius congregationis assignatur Mediolani in Sancto Eustorgio in studentem formalem. In forma. Tridenti, 24 septembris 1562.

1625. Fratri Gregorio de Ragusio concessum fuit, ut transferre possit suam filiationem in provincia Utriusque Lombardiae. In forma gratiosa. Tridenti, 26 octobris 1562.

[1564]

1626. Confirmatus fuit in vicarium huius congregationis pater frater Valentinus de Ragusio, canonicè electus. In forma. Bononiae, 24 maii 1564.

Provincia Sancti Johannis Baptistae de Perù

1627. Frater Angelus de Ragusio, nuncius ad capitulum generale Bononiae celebratum pro hac provincia, ad eandem remittitur pro habenda et declaranda informatione; et precipitur omnibus magistro ordinis inferioribus, ne illum impediunt, sub formali precepto. Bononiae, 13 iunii 1562.

[f. 186r]

1628. Eidem fratri Angelo concessum fuit, ut, existens in hac provincia, completo quadriennio lecturae artium, possit promoveri ad gradum baccalaureatus in provincia hac et ipsius provinciae nomine primisso in examine per examinatores a provinciali deputatos. Bononiae, 13 iulii 1564.

Provincia Sancti Dominici Venetiarum

1629. Frater Dyionisius de Jadra assignatur Utini cum precepto formali et sub penis gravioris culpa, ut infra certum spatium temporis recedat a conventu Sanctorum Johannis et Pauli de Venetiis nec illuc revertatur sine magistri ordinis licentia in scriptis. Genuae, 11 martii 1561.

[f. 243r]

Vincentius Justiniani (1565-1567)

Provincia Dalmatiae

[1565]

1630. Frater Nicolaus de Jadra assignatus fuit pro rata provinciae studens formalis Bononiae post recessum fratris Isidoris de Ragusio. In forma. 11 novembris 1565, Genuae.

[35, f. 108r]

1631. Frater Lucas de Tragurio assignatur Paduae studens. In forma. 10 octobris 1565, Neapoli.

[1567]

1632. Fratri Hieronymo de Lesina alias exposito ad audiendum confessionum (!) fuit in commodum suorum conterraneorum, qui diverso ab aliis idiomate utuntur, ut quantum est ex patre nostro reverendissimo et ab eo pendet, possit eorum connationalium, si qui sibi occurrerint et in navibus extiterint, audire confessiones de more catholicae ecclesiae. Matrity, 16 martii 1567.

1633. Frater Isidorus de Ragusio, attenta relatione officialium studii Bononiensis, institutus fuit lector in provincia et preceptum reverendo provinciali, ut sibi de lectione provideat. Bononiae, prima octobris 1567.

1634. Eidem fuit concessum, ut suam possit filiationem suam (sic!) ponere in conventu Jadrensi. In forma gratiosa. Dispensatus fuit cum fratre Jacobo de Jadra, quod exercere possit munus subdiaconatus, cum esset suspensus eo quod absque licentia promotus fuisset ad ipsum sacrum ordinem et restitutus fuit ad vocem qua privatus erat ea de causa, cum humiliter sese per quinquennium in penitentia habuerit et ad instantiam prioris sui et testimonium restitutus fuit. Bononiae, 1 octobris 1567.

[f. 108r-v]

1635. Fratri Petro de Spalatro fuit concessum, ut suam possit (filiationem) in provinciam Utriusque Lombardiae transferre. In forma gratiosa. Bononiae, 9 octobris 1567.

Seraphinus Cavalli, proc. gen. et vic. gen. (1569-1570)

Provincia Dalmatiae

1569

1636. Reverendus pater frater Simon Rosa, magister, fuit confirmatus in provincialem Dalmatię, electus in capitulo Traguriensi, habuit vota 18 ex viginti, cum auctoritate consueta. Die 6 novembris. [37, f. 35r]

1637. Eodem die venerabilis pater frater Paulus de Jadra fuit institutus baccalaureus pro conventu Jadrensi, ubi secundum decreta capituli generalis Romę celebrati studium erigendum erat.

1570

1638. Die 15 ianuarii. Translata fuit affiliatio venerabilis patris fratris Angeli Carnaruti a conventu suo originali Jadrensi ad conventum divi Joannis Baptistę de Nona, consensu tamen habito reverendi provincialis sui, quod factum fuit tum loci indigentia, tum etiam comitis illius communitatis precibus.

1639. Die 10 maii. Concessa fuit facultas fratri Simoni de Jadra, converso, affiliandi se ad aliquem conventum vicarię Sancti Dominici. In forma.

1640. Die 18 novembris. Concessa fuit facultas religioso iuveni fratri Nicolao de Sibenico affiliandi se ad aliam provinciam, requisito assensu sui reverendi provincialis et aliis. In forma rigorosa.

1641. Die 18 (novembris). Assignatus fuit venerabilis frater Petrus de Spalatro pro rata provincię suę in conventu et studio nostro Sancti Eustorgii de Mediolano in studentem formalem cum solitis gratiis.

[1571]

1642. Die 28 iulii fuit facta intimatio capituli generalis reverendo patri provinciali Dalmatie. In forma.

Congregatio Ragusina

1570

1643. Iunii, die 12. Confirmatus fuit vicarius generalis congregationis Ragusię reverendus pater frater Thomas Raguseus, cum auctoritate solita. [f. 75r]

1644. Die 17 (iunii). Ex processu transmissio contra fratrem Johannem Mariam de Ragusio factum fuit ei pceptum formale et sub pna privationis habitus, ut deberet se carceri presentare sub obedientia reverendi sui vicarii infra spatium viginti quatuor horarum, sub cuius iudicio carcere inclusus usque ad finem permanere; quod si facere recusaverit extra Ragusium, in alium conventum per eundem vicarium assignandum se conferat infra spatium trium dierum, neque illuc redire audeat sine nostra in scriptis licentia; deinde opportuno tempore coram iudicibus causarum in proxime futuro capitulo generali de more deputandi personaliter comparere.

1645. Die 5 novembris. Admissus fuit Bononię venerabilis frater Bernardus Raguseus²⁷² ad examen subeundum non adhuc sui studentatus completo triennio, ex quo si evadere in honore et approbantibus eius studii moderatoribus continget in lectorem, in sua congregatione esse, decretum

²⁷² Bernardus Marini Natalis de Georgio o kojemu v. HAD, Testamenta Notariae, 17, ff. 41r-42v.

fuit et declaratum ac subinde assignatus in conventu Ragusino, nemini tamen illata iniuria.

Vincentius Justiniani (1569-1571)

Provincia Dalmatiae

[1570]

1646. Frater Antonius Anastasio de Corzula fuit assignatus in studio Sancti Dominici de Neapoli pro rata suae provinciae. Die 1 ianuarii 1570, Alatritii. [38, f. 61r]

1647. Frater Petrus de Spalatro fuit assignatus in studio Sancti Eustorgii Mediolanensis pro rata suae provinciae. Die 24 novembris 1570, Genuae.

[1571]

1648. Reverendus pater frater Marcus de Berdalo Primus de Lesina, canonicus electus in priorem provincialem in conventu Sanctae Crucis in Bua sub die 28 aprilis 1571, confirmatus fuit cum auctoritate dari consueta huiusmodi provincialibus et praeepto, ut obediant. Romae, die 1 iunii 1571.

Congregatio Ragusina

[1569]

1649. Fratri Chrisostomo de Ragusio, iuveni, concessa fuit facultas transferendi filiationem suam a suo originali conventu et congregatione ad provinciam Lombardiae et aliquem eius conventum. In forma gratiosa. Genuae, 26 octobris 1569. [f. 122r]

Seraphinus Cavalli (1571-1572)^{272a}

Provincia Dalmatiae

[1571]

1650. Die IX iulii. Institutus fuit reverendus pater Marinus de Bracchia in patrem a consiliis in provincia Dalmatię in omni conventu ubicumque eum esse assignatum contigerit. In forma. [f. 52r]

1651. Eadem die mandatum fuit sub praeepto ne aliquis accederet ad monasterium.

1652. Augusti, die XX. Concessa fuit facultas conventui Sancti Nicolai de Corzula vendendi quasdam vineas in loco dicto Ezara in Zormo; et pariter, ut prefatus conventus, ab impio Turcha direptus et succensus, in alio loco commodiori reedificari valeat, instituto commissario reverendo patre magistro Vincentio Palatino eiusdem provincie, cui data etiam fuit facultas erigendi media predicatione sanctissimi Rosarii societatem. In forma.

[1572]

1653. Die XXI maii. Concessa fuit facultas fratri Angelo Jadrensi instituendi societatem sanctissimi Rosarii.

Congregatio Ragusina

1571

1654. Die XX iunii. Concessa fuit facultas congregationi Ragusine posse mittere ad quolibet generalia studia unum ex suis sacerdotibus iuvenibus

^{272a} Vatikanski arhiv, Fondo Domenicani, 35, ff. 52r, 88r.

idoneis ad litteras capessendas. Similiter ne audeant sub p̄na culp̄e mittere ad sacros ordines extra congregationem et provinciam, videlicet Lombardie sine expressa reverendi vicarii pro tempore in scriptis licentia; item quod nullus eligi possit in vicarium, superiorem, priorem, vicarium generalem, nisi sciat legere recte et gramaticaliter saltem intelligere, secus factum totum sit irritum et inane; ea preter ordinatum etiam fuit, ut in conventu saltem Ragusino vigeat iugis lectio maxime casuum conscientie cum conferentia, ad quas teneantur omnes convenire; tandem sub p̄cepto et sub p̄na absolutionis p̄ceptum fuit omnibus p̄latis pro tempore et subditis sub pena gravioris culp̄e, ut libros seu alia ad dictam congregationem spectantia extra congregationem transferre non presumant. [f. 88r]

1655. Die XVIII augusti. Data fuit potestas reverendo patri fratri Timotheo de Ragusio inquirendi etc. et huiusmodi faciendi ad cognitionem cause patris fratris Archangeli de Ragusio, que erunt necessaria etc.

[1572]

1656. Et iterum die XII ianuarii MDLXXII eidem data fuit eadem facultas et insuper commissum, ut citationes infrascriptis iudicialiter coram testibus presentaret et citati fuerint frater Franciscus et frater Dominicus Getaldis de Ragusio, sub p̄cepto et p̄na privationis habitus, ut infra triduum e Ragusio recedant; et infra mensem ab harum receptionem coram reverendissimo (magistro generali) personaliter absque aliqua excusatione se presentent.

1657. Iunii, die X. Confirmatus fuit in vicarium congregationis pater frater Paulus Ciceri. In forma.

1658. MDLXXII die XXX augusti. Iterum, ut supra, tertio fratres Franciscus et Dominicus de Ragusio ad comparendum citati fuere.

Seraphinus Cavalli (1573-1578)

Provincia Dalmatiae

[1573]

1659. Conventus:

Jadrensis	Pagensis
Catharensis	Brachiensis
Spalatensis	Traguriensis
Sibenicensis	Sanctae Crucis in insula Bua

Locus Sanctae Mariae in insula Torcula et monasterium Sancti Demetrii Jadrensis. A Turcis, ob nostra peccata, anno Domini 1571 diruta et incensa: Alchiniensis, Corzolenis, Ennonensis, in insula Faro duo.

Provincia haec olim illustris et que multos preclaros edidit viros, modo fere desolata remanet et tantum alit fratres centum in circa. [39, f. 93r]

[1574]

1660. Genuae, 1 septembris. Assignatus fuit Bononiae pro primo loco vacante provincia nomine frater Marcus Angelus de Lesina et die 21 septembris 1575 institutus fuit lector. In forma. Pro provincia sua. In civitate Bononiae.

[1575]

1661. Brixiae, 10 ianuarii 1575. Concessum fuit fratri Vincentio de Sebenico, ut a conventu Curzolensi ad Sebenicensem se transferre posset de assensu. In forma.

1662. Bononiae, 8 septembris 1575. Institutus pater frater Ludovicus de Arimino visitator cum potestate etiam absolvendi provincialem.

Congregatio Ragusina

1663. Conventus Sancti Dominici de Ragusio, Sanctae Crucis in Gravi Porto, Sancti Nicolai in Insula de Medio, monasterium monialium Sanctae Catharinae Ragusii.

Alit fratres quadraginta in circa. [f. 183r]

[1574]

1664. Laudae, 18 decembris 1574. Assignatus fuit Bononiae pro congregatione frater Gabriel de Ragusio.

[1575]

1665. Die 12 iunii 1575, Bononiae. Institutus fuit visitator congregationis cum omni auctoritate et potestate reverendus pater predicator frater Ludovicus de Arimino.

1666. Mantuae, 26 septembris 1575. Factum fuit praeceptum formale sub paena excommunicationis latae sententiae, ut discedant etiam se presentent coram reverendissimo (magistro generali) fratres Bernardus, Silvester,²⁷³ Joannes Maria, Ambrosius de Ragusio et die 29 datus locus post vicarium predicto visitatori et post ordinationem magistri ordinis.

[1576]

1667. Neapoli, die 25 septembris 1576. Perpetuo fuit privatus habitui pater frater Dominicus de Ragusio et condemnatus ad triremem pro annos decem traditurque brachio seculari, ut a quocumque, ubicumque repertus fuerit, possit cogi ad dictam penam et bannitus a civitate Ragusii et eius toto dominio; et fuit suspensatus a divinis et privatus munere predicationis et declaratur incidisse in suspensionem heresis, quia excommunicationem pro annum et plus sustinuit; et reverendissimus reservavit sibi tantum auctoritatem minuendi seu commutandi dictas penas.

1668. Neapoli, 1576 eodem die. Item condemnatus fuit pater frater Valentinus de Ragusio per decennium ad omnes penas gravioris culpae et bannitus a civitate Ragusii et eius toto dominio pro annos viginti; et reverendissimus reservavit sibi tantummodo auctoritatem comutandi et minuendi dictas penas. [f. 183v]

